SCHOLASTICA ASSERTIO PRO DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

Qua demonstratur Henrici Borbonij Biarnensis ad Galliæ Regnum perpetua inhabilitas, sacræ Scripturæ verbis, Conciliorum decretis, Maximorum Pontificum constitutionibus, sanctorum Patrum sententijs, Historiarum monumentis, Auctorum testimonijs, Iure communi, Pontificio, & Cæsareo comprobata.

Auctore

D. CONSALVO PONCE DE LEON Hispalensi I. V. D. Archidiacono Talauerensi in Ecclesia Toletana.

Adiectæ sunt Bullæ Pontificiæ, quæ in hac causa hactenus prodiere.

ROMAE,

Ex Typographia Gabiana, M. D. XCIII.

DE SVPERIORVM LICENTIA,

In hac assertione nihil est Catholicæ fidei, aut bonis moribus contrariũ. quod attestor. Romæ in nostro Collegio Die 15. Februarij 1593.

Ioannes Azor.

Idem sentio. Romæ 1. Aprilis 1593.

Franciscus Lamata Doctor Theologus.

Vidit Tagliaferrus.

Imprimatur.

P.Ant.Vicesg. F.Barth.de Miranda S.P.M.

AD CHRISTIANVM LECTOREM.

NEMINI ignotum eſt, Chriſtiane Lector, Henrico Valeſio occiſo, Nauarræum ad Regni ſceptra adſpirantẽ, nec niſi Catholicorum opera, & Pontificis Maximi auctoritate id ſe poſſe conſequi agnoſcentem, Oratores Romam miſiſſe, qui reſipiſcentiæ ſuæ ſpem darent. Hoc ille cõſilium non multo poſt (cum id res, & temporũ condicio poſtularunt) nõ modo neglexiſſe, ſed penitus mutaſſe viſus eſt, cum in Pontificem Gregorium XIIII. & eius miniſtros publicis edictis & minis deſæuijt. Nunc vero cum Catholicorum comitia inceperint, & de eligendo Rege ſerio inter Principes & Ordines Pariſijs agatur, ad eumdem ſimulationis portum iterum confugit. Die enim 19.

Ianuarij huius anni 1593. *Declarationem* Gallicana lingua apud Claudium Cottereanum Regium (vt se vocat) impressorem, typis mandauit: in qua post multa, Catholicæ religionis protectorẽ se fuisse, & semper futurũ esse pollicetur, atque ab eiusdem religionis doctis viris instrui & doceri postulat. Quamuis autem neminem oporteat decipi rãcidis istis delinimentis: ratio tamen ipsa poscit, vt credamus Catholicos Principes, & Episcopos, qui ab eo stant, eisdẽ vanis pollicitationibus adhuc delusos detineri, spectareq. pœnitentem Henricum, & ab Ecclesiæ Catholicæ præside Pontifice Romano, non modo Catholicorum communioni restitutum, sed ad Galliæ etiam sceptra prouectũ. Nec tamen fortasse, doctissimi alioqui & prudẽtissimi viri, animaduertunt, sacræ huius Apostolicæ Cathedræ moderatores, nihil vmquam leuiter, nihil temere, nihil in Ecclesiæ scandalum, contra veterẽ disciplinam, aduersus sacros & constantes ritus, per Clauium abusum, decreturos. Quapropter consilium nobis fuit, breuem indiculum componere, ex

diui-

diuinis testimonijs, Cōciliorum sanctionibus, Pontificum decretis, Sanctorum Patrum suffragijs, historiarum monumentis, praxi denique qua vtimur sacra & profana, eorum impedimentorū quæ Henricum, resipiscētem etiam & Ecclesiæ redditum, a Regno nihilominus perpetuo excludunt. Hæc enim si ob oculos versentur, haud facile credemus fore, vt quisquam cordatus, si modo Catholicus, fallacem istam spem diutius alat, cum videlicet instructissimam, quam explicabimus, Ecclesiæ phalangem aduersus Henricum dimicantem, non facile profligari posse cognoscet. Nec vero interim negauerimus immo si opus sit, effusso sanguine testabimur, Pontificem Romanū totius Ecclesiasticæ politiæ monarcham, posse quidem quidquid iuris humani est, dispensare, tollere, abrogare, immo circa ipsum etiā diuinum, veram intelligentiam & sensum, Ecclesiæ proponere. Quocirca si tandem Nauarræus (quod vtinam contingat) ex corde conuertatur, & Pontifici Maximo e re Christiana esse videatur, vt Galliā moderetur, cum eoq. dispenset: ille quidem

rite

rite dispensatus censendus erit, nec vllum eorum, quæ referemus, impedimentum obstabit. Quæ cum vera sint, & posse Pontificem Maximum (vt iterum repetamus) abrogare humana, declarare diuina, plusquam manifestum: non interim vel Henrici fautores negabunt, indigere eius restitutionē, & ad Regnum habilitatem interpretatione diuinorum testimoniorum, indigere abrogatione œcumenicorum, quorum auctoritas Ecclesiam hactenus rexit, Conciliorum, Pontificum sanctissimorum qui Sedem istam & vita & morte condecorarunt, constitutionum, Ecclesiasticorum sacratissimorum rituum, constantium & perpetuarum obseruationum, iuris communis, totiusq. Ecclesiasticæ disciplinę, Orthodoxorū denique Patrū vnanimium sententiarum, vniuersorumq. scribentium auctoritatum. Hæc, inquam, tam multa, tam sacra, tam diuina, a Summo Pontifice, vt Henricus regnet, abrogāda & eneruanda erunt.

Sed & ille etiam suscepti laboris nostri fructus sperari poterit, ne vllo tempore Ecclesiæ hostes obijcere nobis possint

sint

ſint obſoleuiſſe diſciplinam, & quaſi in deſuetudinem per Catholicorum ſilentium abijſſe. Proderit enim, ſi vel nos rudi ingenio, veteres iſtos ſacroſanctæ diſciplinæ ductus renouata earum memoria ſarciamus, & a ſordibus, quibus ab hęreticis obducuntur, quo purius & placidius fluant, expurgemus.

SCHOLASTICA ASSERTIO PRO DISCIPLINA ECCLESIASTICA:

Qua demonstratur Henrici Borbonij Biarnensis ad Galliæ Regnum perpetua inhabilitas, sacræ Scripturæ verbis, Cōciliorum decretis, Maximorum Pontificum constitutionibus, sanctorum Patrum sententijs, Historiarum monumentis, Auctorum testimonijs, Iure communi, Pontificio, & Cæsareo cōprobata.

Ad pium & Orthodoxum Lectorem.

POST funestum casum Henrici III. Gallorum Regis (PIE LECTOR) inter ipsa potentissimi exercitus sui arma miserrime cæsi, Borbonius Nauarreus quondam Biarni dominus, qui eo tēpore apud eundem merebat, & bonam copiarum partem

ctabat, Galliam mox per tyrannidem occupare aggreſſus eſt, & ſceptri dominijq. iura, quaſi legitime ſibi delata (a quibus ſane multis de cauſis ceciderat) vſurpauit. Cuius perditiſsimis conatibus cum ſanctum Catholicarum vrbium & Principum FOEDVS conſtanter ſeſe oppoſuiſſet, & rem, ſanguinem, animam prius profundere, quam hominem hæreticum, relapſumq. Caluiniſtam, & quod deploratius eſt, adhuc in erroribus ſordeſcentem tyrannum pati, ſtatuiſſet: ille quidē ad inuadendam patriam, nouam viam callido commento ingreſſus, cum ſub leonino exuuio parum conſilia ſuccederent, vulpinum tandem aſſuens, aliquid ſperare poſſe cœpit. Igitur in eam ſpem Epiſcopos, & Catholicos Regni proceres nouus Proteus trahere conatus eſt, vt ſe fidelē ex perduelle, defenſorē ex hoſte, Orthodoxum e ſectario fieri quandoque poſſe confiderent. A quo vero vno cauſæ articulo cum in primis totius negotij exitum pendere credamus, & vna hac vanæ & ridiculæ metamorphoſeos expectatione eos teneri, qui illius partes num etiam fouent, perferatur: non abs re Chriſtiana fore duximus, ſi breuiter & dilucide demonſtraremus, nullo tempore, nullo iure, nulla permiſsione, nulla conniuentia (ſalua Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſeruantia) Henricum ad nobiliſsimum Chriſtianiſsimumq. Regnum moderādum habilem futurū. Hoc autem vt planum fiat, in tres præcipuas partes vniuerſam diſputationem diuidemus.

In pri-

In primis lõge pleneq. repetemus antiquissimam Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem de recipiendis in hæresim lapsis per solemnem & publicam errorum abiurationem : vt inde constet, Henricum post similem , quam & omnes norunt, & nos docebimus, liberã, spontaneam , & solemnem abiurationem Caluinismi, redijsse iterum ad illum , proinde vere esse, diciq. debere relapsum, & vt talem iudicandum esse ab Ecclesia , non obstante falsa metus exceptione ab illo suisq. allegata .

Deinde octo dũtaxat canonica impedimenta (quando id instituta opusculi breuitas postulat) proponemus , quibus Henricum quantumuis ad Ecclesiam reuersum , iuxta Dei verbum, & Ecclesiæ disciplinam tam nunc vigentem , quam olim obseruatam , & cum ipsamet Ecclesia ortam, ad Galliæ sceptrum esse , foreq. semper inhabilem demonstrabimus .

Postremo ostendemus miserrimam ruinam , & inexplicabiles Gallicano Regno, non modo Nauarreo regnante, imminentes calamitates , verum si diutius illius causa a viris Catholicis , & præsertim Ecclesiarum pastoribus foueatur , certissime euenturas : vt demum ijs positis articulis constet omni iure prohibitam esse Henrici communionem , debereq. eum ab vniuersa Ecclesia vitari, nulla ratione, titulo, prætextu in eius gratiam admissis.

Prima pars.

SI sacros Ecclesiæ canones, constantemq. per tot annorum curricula traditionem consulimus; nemini profecto dubium erit, Henricum Nauarreum eorum numero habendum esse, quos eadem Ecclesiastica disciplina relapsos vocat, & præ ceteris pietatis ac religionis reis seuerissima animaduersione punit. Isti siquidem rabidi & voraces canes ad eiectarum sordium vomitum redeunt, & veluti lutulenti & cœnosi sues, in fœtidissimis haris, e quibus semel emerserant, volutantur. Hoc autem quo dilucidius ostendamus, altius quidem repetenda est eadem Ecclesiastica disciplina, pleneq. explicandum de hæresi conuictos (phrasibus autem vocibusq. scholasticis in tota disputatione vtemur) & ad Ecclesiã redeuntes, non aliter quam solemniter abiuratis erroribus, ad communionem fuisse admissos: nempe vt diuino humanoq. sacramenti vinculo constricti, fidem Deo Ecclesiæq. datam perpetuo custodirent; aut si forte ex dolo, instabilitateve iterum laberẽtur, fraudulenta ac ficta quo ad Ecclesiam & exterius forum in posterum iudicaretur eorum resipiscentia.

Concilia. Non aliter a cõtinua octo generalium Conciliorum serie, quæ in Oriente celebrata sunt, Ecclesiam decreuisse, aperte intelliget, qui eorum cano-

rum canones & acta euoluerit. Nam in primis Synodi œcumenicæ Nicænæ primæ aduerſus Arium coactæ canone 8. (qui refertur a Gratiano cap. ſi qui voluerit. 1.q.7.) Nouatiani ad Eccleſiam redeuntes eã hæreſim deteſtari compelluntur, & Catholicam fidem per libellum profiteri. Poſt Nicænos vero Patres eamdem diſciplinam ſequuti Conſtantinopolitani primi, qui ad oppugnandum Macedonium conuenerunt, in hunc ſane modum canone 7. ſtatuerũt:

Eos qui rectæ fidei adijciuntur, & parti eorum ,,
qui ex hæreticis ſeruantur, recipimus ſecundum ,,
ſubiectam hic conſequentiam, & conſuetudi- ,,
nem. Arianos quidem, & Macedonianos, & Sab- ,,
batianos, & Nouatianos, qui dicunt ſeipſos Ca- ,,
tharos, & Ariſteros, vel Siniſteros, & Tecarade- ,,
catitas, ſiue Tetraditas, & Apollinariſtas recipi- ,,
mus, dantes quidem libellos, & omnem hære- ,,
ſim anathematizantes, quæ non ſentit vt ſancta ,,
Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia, &c. Ephe- ,,

ſini poſt hos a Neſtorio, cuius impietatem damnauerant, poſtularunt, vt non modo, ſi Eccleſiæ conſortium optabat, ſymbolum Orthodoxæ fidei profiteretur, ſed & polluta ac profana dogmata voce & ſcripto improbaret. Chalcedonenſes deinde actione 8. & 9. Theodoritum Cyrenſem, & Ibam Edeſſenum, nonniſi Neſtorianis erroribus, de quibus ſuſpecti erant, abiuratis, ad communionem admittũt. Hæc autem quatuor œcumenica Concilia, quæ & ſummorum Pontificum decreta, & Cæſarum leges, vt

quatuor ipsa Euangelia veneranda esse statuūt, posteriores Synodi sequutæ sunt. Nam quinti Concilij generalis, coacti contra Origenem, & ad decernendum de Tribus Capitulis, canone 11. expresse cauetur de anathematizatione Arij, Eunomij, Macedonij, Apollinarij, Origenis, & aliorum: canone vero 13. & 14. ij qui Theodoriti scripta & Ibæ epistolam defenderant, illa, hancq. damnare iubentur, si velint ad Catholicam communionem recipi. In sexto generali Concilio contra Monothelitas congregato, canone 96. eadem verba, quæ ex Constantinopolitano præcitauimus, leguntur. In septima aduersus Iconomachos celebrata Synodo (cuius 3. & 5. actione, vt suo loco dicemus, quæstio de recipiendis lapsis discussa est) plures Episcopi, quorum coryphæus erat Basilius Ancyranus, ab hæresi reuersi, errores abiurant & anathematizāt. Est autem eo loco obseruatione dignissimum (quod ex eiusdem Basilij verbis inter alia refert Gratianus cap. conuenientibus. 5. quæst. 7.) Ecclesiasticam hanc constitutionem ab ipsis Apostolis eorumq. successoribus deriuari. „ Constitutio, inquit, Ecclesiastica habet canonice tradita ab antiquo a sanctis Apostolis, & successoribus eorū sanctis Patribus nostris, & magistris, & sanctis vniuersalibus sex Synodis, & localibus Synodis Orthodoxis, vt qui ab aliqua hæresi reuertuntur ad Orthodoxam fidem & traditionem Catholicæ Ecclesiæ, scripto negare

debeant

debeant hæresim suam,& confiteri Catholicam ,,
fidem,&c. Quod & Græci, Latiniq. Concilio- ,,
rum expositores, Theodorus Balsamon, Matthæus Blastares, Sabinus monachus, atque alij præcitatis locis indicarunt. In octaua demum Synodo, quæ pro restitutione Ignatij Constantinopolitani aduersus Photium indicta est, illi qui eidem Photio schismatico communicauerant, schisma abiurant, libellosq. offerunt, vt in secunda actione eius Concilij habetur. Prædictas autem œcumenicas Synodos in Oriente celebratas, Occidentales æmulatæ sunt: nam in Cōstantiensi actione 19. Hieronymus Pragensis Hussita, in Lateranensi Pontifice Leone X. quidam alij hæresim abiurarunt. Denique idem prouincialibus Synodis stabilitum ex canone 9. Arelatensis Concilij secundi, quod sub Siluestro I. celebratum est, aperte liquet. Gangrensis præterea Synodus eodem tempore & Pōtifice celebrata, de Eustathianis loquens, idem statuit: Laodicena similiter canone 17. sub Liberio (vt melior habet opinio) congregata, approbataq. a sexto Concilio Trullano. In qua animaduertere oportet (vt appareat quæ fuerit in Ecclesia disciplinæ series, quæ ad nos per continuam traditionem delata est) non modo hæreticos ipsos, sed & eorum fideles abiurare solitos. Eos (aiunt Laodiceni Patres) ,,
qui conuertuntur ex hæresibus, hoc est, Noua- ,,
tianorum, aut Photinianorum, siue Quartade- ,,
cimanorum, siue eorum etiam πιστοὺς *fideles* ,,

,, non admitti, priusquam hæresim omnem ana-
,, thematizent, atque eam præcipue in qua fue-
,, runt. In tertio Toletano Concilio Pelagij II. tẽporibus celebrato, Gothi Episcopi ex Ariana impietate reuertentes, hæresim abiurant. Idẽ statuitur 1. Aurelianen. can. 12. Biterrensi can. 29. Narbon. can. 6. & eo quod sub Nicolao II. coactum est, cuius meminit Gratianus cap. 42. de consecratione dist. 2.

Pontificũ Maximorũ decreta. Sed & Romanorum Pontificum (quorum ad statuendum auctoritatem, vt qui a Deo spiritualis huius regni principes constituti sint, nemo sanus negabit) antiquissimis decretis eadem doctrina confirmatur, vt constat ex Anastasio I. qui sedit ad annum Christi 390. & qui Synodum Alexandrinam ad examinanda Origenis scripta celebrauit, in epistola ad Episcopos Germaniæ & Burgundiæ cap. 3. Innocentio I. epist. 25. ad Concil. Carthaginiense, & 26. ad Concilium Mileuitanum, Leone Magno epist. 2. ad Episcopos Italiæ, & epist. 3. & 84. ad Aquileiensem, & 10. & 19. ad Flauianum, & 13. & 17. & 37. & 49. ad Pulcheriam, & 18. ad Iulianum Coensem, & 34. & 38. & 75. ad Anatolium, & 83. ad Altinum, & 85. ad Episcopos Africanos. Post Leonem idem statuerunt Hormisda epist. 6. ad Epiphanium Constantinopolitanum Episcopum (de quo honorificam mentionem fecit Gennadius in defensione Florentinæ Synodi) & Gregorius I. epist. 31. lib. 10. cuius fragmentum est apud

Gra-

Gratianum cap. quotiens. 1. q. 7

Sanctorum similiter Patrum testimonijs hoc ab Ecclesia obseruatum fuisse intelliget, qui leget epistolam 11. lib. 3. beati martyris Cypriani, & 95. Augustini, vbi Pelagium non nisi per apertam scriptorum ac dictorum palinodiam ad Ecclesiam admitti debere ostendit: Cyrilli Alexãdrini 10. ad Nestorium, Ioannis Constantinopolitani ad Hormisdam, Basilij ad Euæsenos, quæ legitur in 7. Synodo actione prima. Et hæc ex prope innumerabilibus, ne molestissimus, pauca delibauimus. *Patrũ sententia.*

Idem ab Ecclesiasticis historicis petere quidem facile possumus. Socrates enim lib. 1. cap. 29. auctor est Arium a Constantino per epistolam fuisse admonitum, vt si ad communionem restitui vellet, impietatem, quam in Deum Filium euomuerat, abiuraret, & fidei Nicænæ subscriberet. Idem Socrates lib. 4. cap. 11. scribit, Eustathium, Theophilum, & Siluanum Macedonianorum legatos a Liberio Pontifice in communionem fuisse admissos, oblato libello qui complurium errorum damnationem continebat, isq. & apud eumdem auctorem extat. Isto libello (inquit Socrates) legatos tamquam sponsione obstringens Liberius in communionem recepit. Deinde epistolam misit (cuius meminit etiam Nicephorus lib. 11. cap. 8.) ad Episcopos Orientis, in qua eos ipsos Macedonianos communioni restituit. In qua quidem Liberij epistola verba il- *Historiarũ testimonia*

ba illa leguntur de ijs qui Arimini ceciderant; ex quibus non minus eadem disciplina Ecclesiastica dignoscitur. Fere omnes (inquit) Episcopi qui Arimini conuenerant, qui a fide tum quidem desciuerant, nunc tandem ad sanam mentem reuersi, fidei formulæ ab Episcopis Arimini conuocatis editæ anathema denunciarunt, & fidei Catholicæ & Apostolicæ Nicææ confirmatæ subscripserunt, & nobiscum iam vna communicant. Atque addit: Quam rem vestræ charitatis legati cum explorate cognitam planeq. perspectam haberent, suæ ipsorum subscriptioni vestra etiam nomina adiunxere: Ario autem, & decretis Arimini contra fidem Nicænam sancitis, quibus item vos per versutas blāditias in fraudem inducti cum iureiurando adhibito subscripsistis, anathema edixere. Hæc Liberius: a quo quidem hæreticos (quos Catholicorum simias Cyprianus & Lyrinensis scite vocant) in hoc etiam Ecclesiasticam traditionem imitari voluisse ostenditur. Legitur apud Euagrium lib. *3*. cap. *9*. & Niceph. lib. *16*. cap. *9*. Asianorum quorumdam Episcoporum per libellum abiuratio de reprobato œcumenico Chalcedonensi Concilio. Est & apud eumdem Nicephorum locus lib. *6*. cap. *9*. qui ad hanc rem & argumentum præcipue pertinet: quem tamen, pluresque alios, qui in historia Ecclesiastica passim occurrunt, breuitatis studio prætermittimus.

Hæc igitur obseruatio, & antiqua Ecclesiæ

disciplina

disciplina per manus tradita, & ad nostra vs- *Ius cõmune.*
que tempora deriuata, recentiorum Pontificum decretis, iure communi, & Ecclesiastica praxi stabilitur, cap. ad abolendam. §. illos quoque. cap. excommunicamus. §. adijcimus. de hæret. cap. accusatus. cap. super eo. cap. vt officium. eod. tit. lib. 6. cap. inter solicitudines. de purgat. canonica. cap. quia diligenti. de elect. Vrban. V. in extrauaganti 1. quæ incipit, licet ex omnibus. Innoc. IV. in constitutione 4. & 7. & 8. & 20. in nuper excusis.

Idem docent Iuris vtriusque interpretes præ- *Opinio Doctorum.*
citatis locis (nec enim dubito, apud eos quibus aliquod veritatis indagandæ studium est, hoc etiam probationis genere vti) & in ijs quæ huc pertinentia collegit Gratianus per totam causam 2. q. 7. & in cap. omnis cuiuslibet. 1. q. 1. cap. cum aliquis. 11. q. 3. cap. de viro. 12. q. 2. cap. his qui in tempore. §. final. 26. quæst. 6. quorum quidem nomina, & ipsa sententiarum verba referre prætermittimus, quod in re versemur communi calculo cõprobata. Quinimmo fusius fortassis, quam oportuerat, rẽ nulli ignotã explicauimus: quod tamen eo consilio fecimus, vt veteri disciplina demonstrata, nihil nouum aut tyrannicum in Henricum (vt ipsius fautores libris editis clamitant) hactenus ab Ecclesia tentatum, nihilq. quod ad ipsius salutem pertineret, omissum, ex eadem perpetua constantiq. Ecclesiæ disciplina doceremus.

Iam vero (Catholice Lector) ad eã huius ar-

ticuli

ticuli partem deuenimus, quæ cum non modo Gallis atq. adeo vniuersæ Europæ nationibus, sed remotissimis etiam quibusque gentibus apertissima sit, quorũdam tamen impudentia in dubiũ reuocatur. Scilicet demonstrandũ nunc est, eandem disciplinã consuetudinemq. cum Nauarreo rite ac legitime ab Ecclesia obseruatam esse. Et vero notum est, Carolum IX. anno 1572. die 17. Augusti, Margaretã sororẽ Henrico nuptũ dedisse; illum vero eiusdem Regis & Catharinæ Reginæ socrus, & Cardinalis Borbonij patrui, & Ludouici Mompẽserij Ducis hortationibus, Theologorũ etiam apertis demonstrationibus adductũ, Ecclesiæ Catholicæ communionem petijsse, & Caluinismum solemniter publice in ecclesia præstito iuramento Parisijs damnasse, anathematizasse, abiurasse, & fidem Romanam aperte professum esse. Quæ quidem cum nullibi verius, purius, & elegantius legi possint, quam in Sixti V. Pontif. Maximi declaratione contra eumdem Hẽricum in publico Cõsistorio de cõsensu totius sacri Collegij decreta anno 1585 quinto Idus Septembris, Pontificatus sui anno primo, quæ edita extat inter Bullas Pontificias nuper Romæ excusas: referemus verba ipsa, quæ in ea leguntur.

Narratio facti.

Bulla fel. me. Sixt. V. in Henricum.

„ Henricus (inquit) Borbonius quondam Rex,
„ Caluini errores atque hæreses etiam ab ineunte
„ adolescentia sequutus est, pertinaxq. earum
„ patrocinium tamdiu exercuit, quoad claræ me-
„ moriæ Caroli IX. Francorum Regis, & caris-

simæ

ſimæ in Christo filiæ Catharinæ Reginæ eius ››
matris pientiſsimæ, atque etiam dilecti filij no- ››
ſtri Caroli tituli Sancti Chryſogoni presbyteri ››
Cardinalis Borbonij patrui ſui, & Ludouici ››
Mompenſerij Ducis pijs frequentibus hortatio ››
nibus, apertiſq. eximiæ virtutis ac doctrinæ ››
Theologorum demõſtrationibus, ad fidem Ca- ››
tholicam & Apoſtolicam Romanam (vt exi- ››
ſtimabatur) conuerſus, hæreticas omnes con- ››
tra fidem Catholicam opiniones Pariſijs publi- ››
ce in eccleſia damnauit, anathematizauit, & ››
abiurauit, fidemq. ipſam Catholicam expreſ- ››
ſe profeſſus eſt: datiſq. ſubinde ſuis ad fel. rec. ››
Gregoriũ Papam xiij. prædeceſſorem noſtrum ››
litteris, quibus eumdem prædeceſſorem ſupre- ››
mum Catholicæ Eccleſiæ caput iam agnoſcens, ››
ipſum ſupplex deprecabatur, vt pœnitentiæ, ››
conuerſionis, & obedientiæ ſuæ confeſsionem ››
acceptam habere, & anteactorum veniam re- ››
miſsioniſque gratiam concedere dignaretur: ››
firmiter promittens, ſe fidem ipſam Catholi- ››
cam perpetuo integre ac inuiolate ſeruaturũ. ››
Quibus litteris, vtpote Regijs, idem prædeceſ- ››
ſor credens, & paternæ charitatis viſceribus ››
commotus, ac etiam grauiſsimo Regis, Re- ››
ginæ matris, Cardinalis, & Ducis prædictorum ››
de huiuſmodi conuerſione teſtimonio addu- ››
ctus, illum ipſum præteritos errores confiten- ››
tem, veniamq. humiliter petentem, a crimine ››
hæreſis, & a cenſuris Eccleſiaſticis propterea ››
incurſis abſoluit, & in gremium Sanctæ Matris ››

Eccleſiæ

„ Eccleſiæ communionemq. Fidelium admiſit, „ omni inhabilitate ab eo ſublata. Et paulo poſt „ hæc: Excurſisq. deinde aliquot menſibus, ille „ Ioannem Duratij dominum oratorem ſuum, „ qui nomine ſuo de pœnitentia, conuerſione, fi„ de, & conſtantia ſua in ſedis Apoſtolicæ con„ ſpectu ſponderet, ad dictum prædeceſſorem de„ legauit: habitoq. pro eo publico ſolemniq. in „ aula Regia de more Conſiſtorio in conſeſſu „ Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalium, Præla„ torumq. & aliorum frequentiſsimo concurſu, „ profeſsis omnibus ſupradictis, idem Henricus „ tamquam Rex recens ad fidem conuerſus, & vt „ Catholicus admiſſus eſt, tota Vrbe exultante, „ & ingentes Deo de conquiſita & inuenta oue „ gratias agente. Hactenus litteræ Apoſtolicæ.

Cōmunis opinio. Quarum certe auctoritas, & indubitata fides, ſi non apud Catholicos & veritatis amantes ageremus, forſitan propugnanda eſſet diuerſo argumentorum genere. Nunc vero ſatis fuerit communem illam & in omnium ore ac paginis verſantem doctrinam referre, quæ docet, aduerſus Rom. Pontificis narrationem, quæ in proprio facto conſiſtit, probationem nō admitti: canon notiſsimus, & in eum gloſ. verbo feciſſe. communiter approbata in cle. 1. de probation. notat Decius in cap. propoſuiſti. 3. notab. eod. tit. Bart. in l. ex hac. ff. de donat. l. ex his verbis. cum ibi additis C. de teſtam. mil. plene ab ſcribentibus in cap. poſt ſeſsionem. de probation. cap. cum a nobis. de teſt. cap. cum

olim.

olim. de censib. & clem. si summus. de senten. excomm. Propria enim Sixti vocari possunt ea quæ cũ prædecessore Gregorio, atque adeo cum ipsa Petri cathedra acta sunt, iuxta regulam, & a Doctoribus tradita in cap. si gratiose. de rescrip. in 6. & cap. de hoc. 1. q. 3. Ceterum si quis adhuc de narrationis veritate dubitet, ipsius Henrici confessione doceatur. Nã in hæretico quodam libello, cui titulus est, *Brutum fulmen*, in eius defensionem a delyro (vt audimus) sene edito (ex quo nonnulla, quæ ad rem faciunt, inferius adscribemus) aduersus præcitatum Sixti decretum hæc verba habentur: *pagin. 197.*
" Quod vero de abiuratione fabulatur, paulo planius explicandum est. Adolescentulus Henricus, vix annos vndeuiginti natus, hospitio a Rege affine suo exceptus, multo ante lucem e geniali thoro euocatus, inter cruentos ac madentes sanguine gladios adductus; quæ facere ac pronunciare iussus est, tremebundus ac gemens fecit, ac pronunciauit; quæ Papæ Gregorio per legatos nunciare iussus est, nunciauit. Et pag. 199. Sequuta est carnificina Parisiensis festo Bartholomæi die, hoc est, eiusdem Augusti mensis die 24. Abiuratio vero a Rege Nauarro compluribus post diebus facta est. "

An non aperte fatetur, Henricũ publice Caluinismum abiurasse? quapropter absurdissimũ profecto fuerit, velle Catholicæ Ecclesiæ, ipsiusque Ecclesiæ sũmo Præsidi, cui hæ casses præcipue tenduntur, vllo vmquam tempore imponere quod

re quod tam ipsæ Pontificiæ litteræ omni exce-
ptione maiores, æterniq. in Henricum testes,
quàm eiusdem Henrici aperta confessio liqui-
do improbant,

De falsa exceptione metus.

Non enim obstat quod dudum ille obijcie-
bat, & nunc eius causæ fautores opponunt:
nempe metu adactum abiurasse: nec relapsum
dici posse eum, qui numquam surrexit. Ma-
uult enim Henricus semper se Caluinistā fuisse,
quàm vel momento temporis Catholicum. Et-
enim quicquid hic doli inest, tam facile est co-
gnoscere, quam confutare. Primum, quod Hen-
ricum quatuor cōtinuos annos post abiuratio-
nem Catholicum se exhibuisse, id est, ad annum
vsque 1576. notissimum sit. Itaque abiuratio-
nem, quam eo tempore per vim, ac proinde in-
ualide, ad iura prouocans, fecisse se dicit, per
subsequutum tam longi temporis spontaneum
assensum, si eadem iura consulat, ratam ha-
buisse visus est, cap. 1. de ijs quæ vi. cap. signi-
ficatum. c. cum virum. de regular. glo. & Bart.
cōmuniter recepti in l. interpositas. C. de trans-
act. Bald. in l. 2. C. quod metus causa. & in l.
si ob turpem. & ibi Alex. ff. de cond. ob tur-
pem causam Doct. in cap. ad id. de sponsal. ple-
ne Cobb. in 4. par. 2. §. 6. num. 1. Hæc enim ratio
fundamentum est communis illius sententiæ,
quæ docet metum in promissione interuenien-
tem non præsumi repetitum in solutione vel
exactione ex interuallo facta, Alex. & omnes
l. si cum dotem. §. eo autem. solut. matrim. Non
enim

enim metus iustus dicitur, nisi is qui præsens. l.9. ff. quod met. caus. Metum (inquit Vlpia- ,, nus) præsentem accipere debemus, non suspi- ,, cionem inferendi eius. quæ verba docte expli- ,, cantur per Card. in clem. verum. de elect. Vnde præcedens metus non excusat, nisi probetur durare tempore actus. Quocirca etsi admittamus, eo tempore quo Henricus Caluinismum abiurauit, ob recens hæreticorum supplicium a Rege Parisijs inflictum, metum probari posse; certe non multo post omni vi ac metus suspicione cessante, ipse nullo vrgente, quadriennium (vt diximus) quantum humana iudicia exterioribus signis assequi potuerunt, Catholicus vixit.

Deinde, ex ijs quæ ad putandum iustum metum considerari solent, ostenditur non recte de eo excipi. Inferiorem enim conditione, vel certe parem timere (eo videlicet metu, quem ad actus nullitatem iura postulant) vanum est & ridiculum, cap. Lotharius. 31. q. 2. Bald. in cap. 1. §. item sacramenta. de pace iuram. fir. Alex. in l. 1. quarum rerum act. non detur. Quare Henricum Regem a Rege Carolo vi & metu coactum quis credat? Adde illum hospitio domoq. a Carolo eo tempore exceptum, vocatum ad sororis nuptias, immo iam leuirum, ducta Margareta. Quis ergo contra naturalia istæc hospitij ac sanguinis iura illatam vim credat, atque adeo eam vim, quæ de iure requiritur? qualitates enim personarum, locorum, & temporum

prudentis viri arbitrio perpendi oportere, vt iustus ab vano metu discernatur, constanter tradunt commentatores in cap. cum dilectus. vbi glos. quam Abb. singularem & magistram vocauit, de ijs quæ vi. Bal. in rubr. C. de rescind. vend. Ias. in §. quadruplici. Instit. de action. num. 54. Cæpol. cons. 2. & 3. caus. ciuil. Dec. in l. in omnibus. causis ff. de regul. iur. nu. 7. Nauar. in Manual. cap. 22. num. 51. Cobb. in 4. par. 2. §. 4. cap. 3. num. 8.

Ad hæc, metus exceptio in hoc casu subuenire Henrico nec debet, nec potest, quo minus ea etiam admissa relapsus dicatur: quinimmo eo ipso quod ore professus est fidem (quantumuis coactus) quam corde negabat, relapsus iudicandus est ab Ecclesia. sic vere pleneq. docent Zanchinus cap. 16. Villadid. quæst. 2. Campeg. cap. 17. Griland. q. vlt. Boss. caus. crim. num. 25. de hæret. Paris. lib. 4. cons. 2. Menoch. de arbit. cons. 374. num. 1. Simanc. Cath. instit. tit. 57. & in enchirid. tit. 60. Roias in sing. fidei 173. par. 2. ass. 41. Castr. lib. 2. cap. 2. de iust. hæret. punit. & Doctores in cap. accusatus. & cap. pen. de hæret. lib. 6. vbi de relapsis agunt: ex quorum quidem apertissimis & consentientibus sententijs ostenditur, non modo relapsum vocari eum qui semel vere & ex corde conuersus, hæresiq. abiurata, iterum labitur (quod certe tolerabilius videri possit) sed multo magis illum qui ficte abiurauit, posteaq. deprehensus est in hæresim incidisse: hoc enim manifestam

nifestam pertinaciam fallendiq. studium prodit. Quinimmo hac vna ratione adducta disciplina Ecclesiastica veniam in foro exteriori relapsis negat, quod præsumat ficte eos & fraudulenter obiurasse: vt ex can. 11. Concilij Narbonensis colligitur, cuius hæc sunt verba: Et „ illos qui post abiurationem erroris, seu purga- „ tionem, deprehensi fuerint in abiuratam hære- „ sim recidisse, sæculari iudicio sine vlla penitus „ audientia relinquatis animaduersione debita „ puniendos, cum sufficiat tales per falsam con- „ uersionem semel Ecclesiam decepisse. „

Tandem etsi demus Henricum per vim & metum Caluinismum abiurasse, & Catholicam fidem professum esse: quis, rogo, cordatus illius causam ob id apud Catholicos Principes & Episcopos meliorem futuram existimet? certe hoc vno leuis & inconstans istius animus aperte detegitur, & quid tandem ab eo sperari possit, plane cognoscitur. Si enim ob rerum temporalium turpem metum ore negauit sectam, extra quam esse non posse æternam salutem corde credebat; quæ reliqua erit spes Henricianæ constantiæ? Metus constantis viri (inquit Tho- „ mas in 4. dist. 29.) est ille, per quem eligitur mi- „ nus malum, maioris euitandi causa: Metum, „ inquit, accipiendum, Labeo ait, non quemlibet „ timorem, sed maioris malitatis. Et hæc est com- „ munis opinio Doctorum, vt docuit Cobb. in 4. par. 2. cap. 3. num. 2. Hinc vere profitemur, non esse constanti viro dignum, vitam ipsam venia-

li (quis enim ſanus caduca æternis , & terrena præferat cæleſtibus?) nedum mortali culpa redimere,cap.ſacris. & ibi Abb.de ijs quæ vi.cap. primum. 22.q. 2. S.Thom.2.2.q. 110. art.3.& 1.2.q.62. art.5.

Quam quidem natura inditâ humanis mentibus facem nõ Chriſtiani tantum, quos Euangelij veritas illuſtrat,agnoſcimus,verum Ethnicis etiam ipſis illuxit ; quibus ſceleratiſsimum ſemper fuit religionem deſerere , & dæmonum ſuorum(quos Deos falſo vocabant) cultum vitæ poſtponere . Et denique (vt propius accedamus) tam præteriti quam præſentis temporis ſectarij idem profitentur. Legat Hẽricus ſpecioſos illos pſeudomartyres ab antiquis hæreticis multis encomijs celebratos.De Marcionitis Theophilus Antiochenus Epiſcopus lib. 1. Allegoriarum copioſe ſcripſit : de Gnoſticis Irenæus Lugdunenſis lib. 4. cap. 64. & Clemens Alexan.lib.4.ſtromat. de Montaniſtis Apollinarius (vt eſt apud Euſebium lib. 5. cap. 15.) de Donatiſtis tum martyr Cyprianus epiſt.16. ad Antonianum,& lib.de veritate Eccleſiæ, tũ Auguſtinus Hipponenſis contra epiſtolam Parmeniani lib.1.cap.7.& lib. 3. contra Creſconium cap. 48. & lib. 3. cap. 16. Et vero
„ hic ea illius verba omittenda non ſunt : Hæreti-
„ ci (inquit) faciunt opera latronum & dæmo-
„ num , & gloriam ſibi vendicant martyrum : vi-
„ uunt latrones, & volunt gloriari martyres. Noſtræ ſimiliter ætatis hæretici ne a talibus maio-

ribus

ribus degeneres arguantur, suos & ipsi pseudomartyres celebrant; eo etiam insaniæ prolapsi, vt integra Martyrologia composuerint. Lutherus enim huic albo Ioannes duos, Husium, & Vvicleffum, adscripsit: Euãgelici eodem nomine Loisium, Caluinum, Hadrianum, Hamstedium, Foxium venerantur: Zuingliani Zuingliũ colunt: Anabaptistæ Muntzerum, & Ioannem Sartorem celebrant: Beza, Galliæ exitium, martyrem se vocat, & cum Caluino (lib. 1. instit. cap. 27. §. 4.) pro suo Alcorano mille mortes oppetendas esse, tertio quoque verbo in Catechismo inculcat. Quare si tanti sit apud istos pertinacia in erroribus, si pro apertissima impietate interire, pium & gloriosum ducunt: quid Henricus ob sororij minas, aut (vt probabilius est) minus beneuolum vultum, recessit a signis? quid pudendo timore negauit ore, quod corde credebat? An non hinc liquet aperte, eum qui leuem ob causam suos tunc reliquit, vt inseruiret tempori, facile nunc maxima ista proposita præda, nempe potentissimo florentissimoq. Regno, eos etiam relicturum, & nobis (vt tunc fecit) ad tempus adhæsurum, vt tandem postea simili qua Caluinistas, versutia Catholicos etiam supplantet?

Ceterum, vt exceptionem metus, atque adeo primam disputationis nostræ partem absoluamus: Ecclesiæ certe erit considerare vetus illud Hieronymi ad Oceanum & Pammachium scribentis, hæreticos eisdem omnino verbis, quæ

pro sanis doctrinis ipsimet vsurpant, ad impia damnataq. dogmata confirmanda abuti. Nec enim aliter in Henriciano isto pauore demonstratur: eo siquidem præteritis annis Henricus Caluinistis se excusauit, vt ex eiusdem litteris ad Elisabetham Angliæ, & ad Bernenses Heluetios sub 18. Augusti 1589. quæ passim in Gallia circumferuntur typis mandatæ, & ex præcitato lib. *Brutum fulmen* a pag. 97. cum multis sequentibus constat. Nunc vero eumdem metum, qui ipsius causæ fauent, adducunt, vt aliquādo Ecclesiæ conciliari eū posse, & neophytum, non relapsum esse probent. An non plane deteguntur polyporum quoquo se vertentium leuissimæ mentes? Cui vmquam, aut apud quos tam aperta fraus ac dolus patrocinari potuit?

Conclusio primæ partis. Ex dictis igitur satis ostensum est Ecclesiam Catholicam obseruasse cum Henrico veterem, quæ ad hæc vsque tempora viguit, disciplinam: quem publice solemniterq. abiurato Caluinismo, admisit; eum postea ad vomitum rediisse: Proinde (si diuina decreta, Conciliorum canones, Patrum doctrinam, antiquas & recentes summorum Pontificum constitutiones, Ecclesiæ praxim, Doctorum concordes sententias audimus) non obstante putida ista metus exceptione, quam (cum Vlpiano l. vani timoris.ff. de reg. iur.) vanam merito vocamus, facile constat, vere esse diciq. debere relapsum, & vt talem esse iudicandum ab Ecclesia.

Secunda

Secunda pars.

SEquitur secundi articuli disputatio, quo asseruimus, Henricum, iuxta veterem, & eam quæ a primis Ecclesiæ temporibus ad nostra vsque tempora deuenit, Ecclesiæ disciplinam, multis de causis nec debere, nec posse florentissimo Galliæ Regno moderando præfici. Ad cuius explicationem duo præmittenda sunt.

Primum, doctrinam esse Euangelicam ab ipsius Christi Dei ore prolatam, vt si peccator pœnitentia ductus ad Ecclesiam redierit, etiam si infinities peccauerit, admittatur, vt habetur Mat. 3. & 4. Lucæ 13. Ezech. 18. & 33. Esai. 43. & 59. Baruch 2. Ioel 2. Psalm. 129. atque aliis multis Scripturæ sacræ locis, quos sedulo collegit Cyprianus in libro de lapsis, cum aduersus eos disputaret, qui eo tempore peccatorum remissionem negabant. Canon item Apostolicus 52. Si quis (inquit) ,, Episcopus, presbyter, vel diaconus, eum qui ,, a peccatis conuertitur, non recipit, sed eijcit; ,, deponatur. Christum enim molestia afficit, ,, qui dixit: Gaudium est in cælo propter vnum ,, peccatorem pœnitentiam agentem. Qui enim ,, aliter sentiret, cum antiquis Montanistis, Cataphrygibus, & Nouatiani sentiret, quorũ impietas damnata est antiquis Conciliorũ decretis, & sanctorum Patrum scriptis, Romanis nempe

Sacra Scriptura.

Concilijs ſub Cornelio, & Carthaginienſibus ſub Cypriano, 1. Nicæn.cap. 8. Arelat. 2. cap. 9. Telenſ. cap. 8. Pariſienſi ſub Lud. & Lothar. in præfat. Magunt. ſub Rabano cap. 27. Andegau. 13. Vormat. 80. Trosleian. 15. Taraſ. apud 7. Synod. act. 4. Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. Innoc. I. epiſtol. 3. cap. 2. Gelaſ. tom. de anathematis vinculo, & epiſt. ad Fauſtum magiſt. Cæleſt. ad Epiſcop. Galliæ, Calixt. ep. 2. Innoc. III. cap. 1. de ſumm. Trinit. & fid. Cathol. Tertulliano adhuc Catholico libro de pœnitentia, eodē Cypriano epiſtola ad Antonian. & citato lib. de lapſis, & ad Nouatianum, Dionyſio Alexandrino (vt eſt apud Euſebium lib. 6. cap. 37.) Lyrinenſi, & Epiphanio hæreſ. 59.

Deinde, etſi peccatorem, quocumque tandem tempore ingemuerit, recipiendum eſſe ab Eccleſia fateamur; at id intelligi oportet quantum ad interius forum, & ſacramentalem (vt vocant) abſolutionem, animæq. ſalutem. Nam in foro exteriori & ſæpe olim non licuit, & hodie prohibemur quoſdam recipere: cuius diſciplinæ rationem reddit docte præ alijs Thomas 2. 2. quæſt. 11. art. 4. & nos eam veterum Patrum ſententijs rationibusq. adductis æquam eſſe inferius demonſtrabimus.

Prima ratio.

HIS igitur positis: quod in primis Henricum Regio isto Galliæ solio indignum reddit, iterata est solenniter eiurati semel Caluinismi culpa. Enimvero post abiurationem relapsus, constanti perpetuaq. Ecclesiæ disciplina & traditione, non modo ad nouas dignitates adipiscendas inhabilis est (quod postea plenius ostendemus) sed nec ad Ecclesiæ publicam communionem admittendus. Quos enim nunc solemniter abiurantes vocamus, illi ipsi sunt qui olim solemnes pœnitentes appellabantur, vt a ritibus, cærimonijs, vestibus, loco inter Fideles, alijsq. multis docemur: nos enim singula curiose persequi, otiosum plane iudicamus. Videndus interea est canon Concilij Agathen. 15. (quem refert Gratianus cap. in capite. & cap. pœnitentes. dist. 50.) Tolet. 3. can. 11. & 12. Tolet. 4. can. 54. Tolet. 6. can. 7. & ante hos Carth. 4. can. 76. cum multis sequentibus. Videndi etiam libri pœnitentiales Theodori, Bedæ, Rabani, & sanctorum Basilij Cæsariensis, & Petri Alexandrini, canones item Gregorij Neocæsariẽsis, & Gregorij Nysseni ad Latoniũ, Tertullianus in lib. de pœniten. & pudicitia, epist. Cleri Romani ad Cyprianum, eiusdem Cypriani liber de lapsis, Paciani parænesis, Optat. lib. 2. prope fin. Ambr. ad Virg. lapsam

cap. 8.

cap. 8. Hieronym. in epit. Fabiolæ, Sozom. lib. 7. c. 16. Pœnitentialis & Pontificalis liber, & Ordo Romanus, & ea quæ affert Gratianus tractatu de pœn. ad quem docte Martinus Azpilcueta Nauarrus, maxime cap. 1. dist. 3. Ab his, inquam, si cum hodierna Ecclesiæ praxi comparentur, facile est lectorem (vt dicebamus) agnoscere, eos, quos nunc Ecclesia abiuratis solemniter hæresibus, ac publice pœnitentes admittit, illis respondere, quos olim publicos solemnes pœnitentes vocabāt. At hosce, si iterum laberentur, nec ad publicam communionē fuisse admissos, satis inde discimus, quod solemnis illa pœnitentia iterari non potuerit. Nam vero huc spectare quidam voluerunt τὸ ἐφάπαξ λυτρώσεως, quod Apostolus de Christo Hebræos docuit. Verum quia hæc minus aperta sunt, quam quæ posſint pro compertis adduci; veniamus ad expressa, & in primis ad Siricij sanctiſsimi doctiſsimiq. Pontificis sententiam epist. 1. cap. 5. quā habet Gratianus cap.
„ de his vero. 33. q. 2. Quia suffugium (inquit de relapsis, quos solemniter pœnituerat, lo-
„ quens) non habent pœnitendi. Idem colligitur ex Tertulliano lib. de pœnitentia, cum ait: Se-
„ mel cognitum atque suspectum secundæ, immo
„ iam vltimæ spei: sed iam semel, quia iam se-
„ cundo: sed amplius numquam, quia proxime
„ frustra. Item eodem opere illis verbis: Secun-
„ dæ & vnius pœnitētiæ. Hoc idem sensisse videntur Origenes hom. 15. in Leuit. & Psalm. 38.

hom. 2.

hom. 2. Ambrosius lib. 2. de pœnit. cap. 10. Augustinus epist. 54. ad Macedon. Præsidem, cuius fragmentum est cap. quamuis. 50. dist. & Chrysost. hom. 2. in epist. ad Ephes. Itaque manebant olim pœnitentes illi, si laberentur, absque vlla veniæ spe, quantum ad Ecclesiam. Quod quidem adeo seuere seruabatur, vt vel in vitæ fine sacramentorum participatione quandoque priuarentur. sic enim decernũt non pauci canones Eliberini Concilij tempore Siluestri I. celebrati, qui de relapsis per publicam solemnem pœnitentiã semel admissis intelligendi sunt: cuius tamen disciplinæ seueritas non parum remissa est post Nicænum Concilium, vt ex can. 13. (quem habet Gratianus cap. de his vero qui. 26. quæst. 6.) colligimus. *Concilia.*

Quinimmo ea fuit felici illo æuo Ecclesiæ grauitas, ea constantia, vt non solum illos qui ad detestatos errores redierant, verum qui susceptam intermiserant pœnitentiã, diuinorum mysteriorum participatione & publica communione mulctaret, vt Concilij Venetici canone 5. & primi Turonensis 8. & Epaunensis 23. & primi Aurelianẽsis 13. & tertij Toletani 11. & sexti Toletani 7. præcipitur. Tandem (vt ostendam quo iuimus) eos item, quos negligentius pœnituisset, ac si hoc quoddam relabi esset, difficillime eo tempore admittebat Ecclesia: sic enim statuitur quarti Concilij Carthaginiensis canone 75. & Ilerdensis c. 1. *Ius cõmune.*

Verũ (vt redeamus) quod de relapsis etiam

a com-

a communione repellēdis Ecclesiam olim statuisse docuimus, id certe adhuc continua perpetuaq. obseruatione viget, c. ad abolendam. §. illos. de hæret. cap. super eo. eod. tit. lib. 6.

Patrũ sententia. Et quidem huius disciplinæ obseruantiam non esse contra Euangelicam benignitatem, quæ nemini redeunti gremium claudit, explicat ex antiquis Augustinus præcitata epistola
„ ad Macedon. Non enim (inquit) decet, vt me-
„ dicina vilescat, ac proinde minus vtilis ægro-
„ tis fiat: tanto enim magis salubris est, quanto
„ minus cōtemptibilis. Ambrosius autem lib. 2. de pœnit. cap. 10. (refertur in cap. 3. quamuis deprauate, de pœnit. dist. 3.) alterā rationem insinuat; quod nēpe pœnitentia solemnis, quædam professio est non redeundi iterum ad publica illa scandala, sicuti baptismus nō redeundi ad infidelitatem. Cũ igitur vnum sit baptisma, sic & vna esse debet solemnis pœnitentia: quod docte explicatur a diuo Thoma in 4. dist. 14. q. 1. art. 5. A recentioribus vero scriptoribus plures aliæ rationes adducuntur, quæ hanc Ecclesiæ disciplinā a maleuolorũ hæreticorumq. hominum calumnijs vindicant; quas nos, ne disputationis scholasticæ modum excedamus, consulto omittimus. Videndus idem Thomas 2. 2. quæst. 11. art. 4. Simancas Catholicarum institutionum tit. 57. nu. 11. Eimericus par. 3. quæst. vlt. doctores in cap. de his. de accusat. & ij qui de *relapsis* iustis voluminibus scripserunt.

Quapropter si sacros canones sequimur, si piorum hominum vnanimes sententias, si Ecclesiæ disciplinã cum relapsis hactenus obseruatam veneramur: illum, qui ad Caluinismum palam solemniter, nullo cogente, abiuratum rediJt, qui dirius quam antea Ecclesiam, cui fidem dederat, persequutus est, non iterum ad publicam pœnitentiam admitti, non quantum ad exterius forum Ecclesiæ conciliari, quanto minus ad nobilissimum potentissimumq. Regnum (cum multo grauius periculum subsit) moderandum, prouehi posse, apertum est.

Secunda ratio.

NEC vero solum quod Henricus ad Caluinismi eiurati errores prouolutus sit, Regio illum dominio indignum sacri (vt ostendimus) canones decernunt, sed certe quod semel lapsus, per publicam solemnem pœnitentiam fuerit ad Ecclesiam admissus.

Omittamus priscam illã Ecclesiæ disciplinam, quæ lapsos quosdam relapsis quandoque æquans, vel vltimum certe spiritum agentes a communione arcebat. Taceamus & eam, quæ Cypriani ætate vigebat, accuratissimam ac pene rigidam in admittendis eisdem consuetudinem. Sequuta tempora, Ecclesiasticamq. praxim, quæ ad nouas dignitates ascendere eos qui solemnem egerunt pœnitentiam, prohibet, consulamus.

In primis

Sacra Scriptura. In primis sacris litteris id vetitum, pij doctiq. viri scriptum reliquerunt. Nam Osee Prophetæ verba; Virgo Israel cecidit, & non
" adijcit vt resurgat; huc pertinere arbitratus
" est Strabus minime contemnendæ auctoritatis scriptor, vt auctor est Sixtus Senensis lib. 5. bibliothecæ sanctæ notatione 251. Ceterum hæc delicatulos quosdam (ne morosos appellemus) minus fortasse permouebunt. Expressis *Concilia.* igitur Conciliorum decretis, quibus hæc disciplina stabilitur, agendum est, & legendi Arelatensis Synodi tertiæ canon 2. Agathensis 43. Epaumensis tempore Gelasij I. celebratæ 4. Ilerdensis 5. (quem cum multis huc spectantibus habet Gratianus cap. hi qui. 15. dist.) videndus idem Gratian. dist. 50. vbi & ipse post capit. si duo. suam sententiam subijcit in
" hæc verba: Ad maiorem dignitatem conscen-
" dere post lapsum nulla eis auctoritate permit-
" titur.

Pontificum decreta. Ad hæc, summorum Pontificum decretis idem stabilitur, Siricij videlicet ad Hymerium. cap. 14. & Leonis Magni ad Aquileiensem post principium, a quo certe verba illa referre mi-
" nime grauor: Circa quos (inquit) illam cano-
" num constitutionem præcipimus custodiri, vt
" in magno habeant beneficio, si adépta sibi om-
" ni spe promotionis, in quo inueniuntur ordine
" perpetua stabilitate permaneant. Idem statuit Leonis successor Hilarus in Concilio Romano can. 3.

Et quam-

Et quamuis sacra hæc Conciliorum & Pontificum decreta de Ecclesiasticis personis & earum gradibus nominatim caueant; iure possunt, atque etiam debent ad præsentē causam, in qua de regali dignitate agitur, adduci: tum quod Regum maiestas sit sacratissima, vtpote quos Deus ad significationem sacramenti vnctos & vocari & esse voluerit, cap. 1. de sacra vnctione. l. inter claras. de sum. Trinit. & fid. Cathol. Tum quod (si canonum mentem consideremus) eadem profecto, ac fortasse maior in Regibus, quam in Ecclesiasticis personis, ratio viget. Hos enim post lapsum reuertentes, nouis dignitatibus ornari, propter peruersionis populi periculum canones prohibuerunt: atqui Regibus maior quidem esse solet in plebem auctoritas, fortius imperium, potentior vis: non enim vane pastores populorum sacræ & profanæ litteræ eos appellant: pendet siquidem ab illis non parum subditorum corporalis & spiritualis incolumitas. Hinc Leo Magnus in epistola ad Pulcheriam Augustam (cuius fragmentum est 23. q. 5. cap. 21.) Res (inquit) humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & regia & sacerdotalis defendat auctoritas. Et in eamdem sententiam plura beatissimus ille Pontifex Gelasius epist. 5. ad Anastasium Aug. quæ habetur distin. 96. cap. 10. & Scholastici doctores in Auth. quomodo oporteat Episcopos. vbi Iustinianus sacerdotij &

Regni

Regni inſtitutionẽ,diuinam ſymphoniã vocat. Quæ quidem ſententia citatur & probatur ab Hormiſd. in epiſt. ad Epiphanium, & a Patribus 8. Concilij act. 1. Id vero nos, cum de Regis qualitatibus ex ſacris Scripturæ diuinæ teſtimonijs & Conciliorũ decretis agemus, aperte & copioſe demonſtrabimus.

Addo, per ſolemnem pœnitentiã infamiam contrahi, non quidem ab ipſa pœnitentia,qua nihil eſt ſalubrius aut honorificẽtius, ſed a pœnitentiæ cauſa, id eſt, ſcelere, prouenientem: proinde iure optimo ad omnem dignitatis officijq. honorem adipiſcendum inhabilis iudicandus eſt is,qui ſolemnem pœnitentiam egit. Hinc enim clerici olim ab ea excludebantur, vt ex citato Concilio Carthag. & Siricij teſtimonio probat Gratian. cap. 65. & 66. diſt. 50. & cap. presbyter. 82. diſt. & habetur in Concil. Carthag. 4. can. 68. & Carthag. 5. can. 11. & Tolet. 1. can. 2. & apud Innoc. I. in epiſt. 6. ad Agapit. & S. Leonem epiſt. 92. ad Ruſtic. Narbon. cap. 2. Niſi clericus eſſet prius ab ordine amctus: tunc enim quaſi iam in ordinem laicorum redacto licebat imponere ſolemnem pœnitentiam, vti ex S. Cypriani epiſt. 8. lib. 3. ad Fidũ colligi poteſt. Is enim ſacerdos, de quo eo loco loquitur Cyprianus, ſacro ordine fuerat antea priuatus: cum etiã apertum ſit nec ſacris ordinibus eum,qui ſolemnẽ pœnitentiam egerat, initiari, aut iam initiatũ eis vti potuiſſe, dictis cap. 68. Concilij 4. Carthaginienſis, & cap.

ex

ex pœnitentibus.. cap. in capite. cap. si quis post. cap. canones. cap. pœnitẽtes. dicta dist. 5. Cuius quidem disciplinæ rationem tradidit S. Thomas in 4. dist. 14. q. 1. art. 5. & post alios Trotius lib. 2. de vero & perfecto cler. cap. 14. omniumq. grauissime & doctissime Hormisda in epistola ad Episcopos Hispaniæ (cuius pars est apud Gratianum c. non negamus. 61. dist.) in hæc verba: Sed nec de pœnitẽtibus quidem „ quisquam ad huiusmodi gradum profanus te- „ merator aspiret: satis illi sit, postulanti veniam „ concedi, qua conscientia absoluat reum, qui se „ peccata sua scit populo teste confessum. Quis „ enim quem paulo ante iacentem viderat, vene- „ retur antistitem? Perferens memorandi crimi- „ nis labem, non habet lucidam sacerdotij digni- „ tatem. „

Veterem tandem (vt ad præsentia veniamus) disciplinam, succedentium Pontificum Romanorum constitutionibus confirmatam & stabilitam, Ecclesiæ praxis obseruat. Eos enim, qui de hæresi conuicti solemnem pœnitentiam egerunt, nouos dignitatum gradus ascendere non permittit, infames declarat, eorum sobolem ad omnia officia & beneficia inhabilem reddit, cap. infames. 6. quæst. 1. cap. alieni. 2. quæst. 7. cap. infamibus. de reg. iur. cap. 2. & cap. statutum. de hæret. lib. 6. auth. Catharos. C. de hæret. Quinimmo Reges ipsos, si a vera religione desciuerint, eisdem Ecclesiasticis pœnis obnoxios esse, apertum est, vt

Ius cõmune.

plene docuit Lupus par. 5. §. 1. cum multis sequentibus. Nec vero ijs solum, quas retulimus, pœnis addictos sacri canones & quotidiana praxis decernunt; verum & eorum publicant bona, fiscoq. addicunt, cap. vergentis. de hæreticis. cap. accusatus. §. porro. cap. cum secundum leges. eodem tit. lib. 6. l. Manichæos. C. de hæret. & omni iure, naturali videlicet, ciuili, & politico (vt Doctores loquũtur) spoliant. filij enim patriã potestatem exuunt; serui seruitute liberantur, vasalli fidelitate soluuntur, c. vltimo de hæret. Simanc. tit. 46. nu. 73. & Castro lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 7. Quæ certe omnia tam Sixti V. quam Gregorij XIV. recentissimis in Henricum censuris innouata, confirmata, decreta sunt.

Tertia ratio.

TERTIO id præ oculis habendum est, quod ab Ecclesiæ Catholicæ incunabulis ad vsque præsentem ætatem in hæreseon auctores, propagatores, ac defensores (hosce vno verbo hæresiarchas appellamus) decretum & obseruatum probe scimus.

Sacra Scriptura. Et in primis laudabilem illam consuetudinem & ab ipsius Dei præcepto prouenientem agnoscimus & commendamus, quæ immanissimis istis humani generis megæris omnem veniæ & publicæ cõmunionis spem sustulit. Quo

enim

enim supplicio vanos prophetas electus ille Dei populus ex ipsius præscripto afficere olim soleret, obuium satis est. Fictor somniorum (iubebat Dominus) interficietur: quia loquutus est vt vos auerteret a Domino Deo vestro. Et postea: Propheta, qui arrogantia deprauatus ,, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non ,, præcepi illi vt diceret, aut ex nomine alieno- ,, rum deorum; morte mulctabitur. Iam nota ,, est Baaliticorum prophetarum, quorum nugamentis seductus fuerat Achab, & Israelitica plebs, ad Cisonis fluenta carnificina, ipso vno qui supererat e multis, Dei propheta Elia lictore. Quorum non multo post vniuersas reliquias studiose ab Iehu perquisitas, & in vnum quasi fascem compositas, horrenda internecione penitus fuisse deletas, ipsæ sacræ litteræ testantur. Nec vero nos a priscis pseudoprophetis ad nouos hæresiarchas inepte aut frigide argumentamur: multis enim Scripturarum testimonijs docemur, Christianæ legis doctores (siue ij mali, siue boni sint) veterum prophetarum nomine adumbratos. Exodi 7. Paralip. 2. c. 15. Numer. 11. ita interpretantibus Origene in Ezechielem homilia 2. Hieronymo in Amos cap. 2. & Hieremiæ 23. & Ezechiel. 22. Beda in Prouerb. 29. Lyrano dicto loco Exodi, & in Ioelem cap. 2.

Deuter. 13. & 18.

Euangelica post sub Christo Rege pacifico sequuta lex etsi ab omni humani sanguinis effusione sacras ministrorum suorum manus ab-

Ius cōmune.

ſtinentes eſſe voluerit : at idem ipſe prouidus familiæ ſuæ gubernator Principum mundi animos in communes haſce peſtes cõcitauit: quorum quidem leges vltimo ſupplicio hæreſiarchas afficere iubent, l. quicumque. C. de hæret. l. penult. de apoſtat. l. vltima de Iudæis, l. 75. tit. 6. lib. 16. C. Theod. Si enim is qui frugi ſeruum malis artibus & fallacibus delinimentis corrupit, Ethnicorum hominum ſententia grauiſsime plectendus eſt; quanto ſeuerius eorum ſcelus expiandum eſſe putamus, quorum opera non ſeruile corpus, aut vile caput, ſed ipſius Dei omnipotentis character, anima videlicet, de ſalutis via in æternæ damnationis barathra deflectitur? Quamquam nec nouum eſt, nec a nobis hoc loco prætermittendum, Eccleſiaſticis etiam decretis capitalem in hæreſiarchas pœnam quodammodo inſinuari, cum id Triburtini Patres ſi nõ aperte decreuiſſe, at certe tacite comprobaſſe videantur. Si quis (aiunt canone 50.) ſiue ſit vir, ſiue mulier, a recta credulitate & Catholica fide quẽ illuſione diabolica auerterit, expedit ei (vt Euangelicus intonat ſermo) vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

l. 1. §. perſuadere. & §. ſed vtrũ. ff. de ſer. corrupt.

Concilia.

Ceterum ne aerem verberare, aut cum vmbris congredi iudicemur: quando præſentium temporum conditione, rerumq. ſtatu nocentiſſimos iſtos Dominici gregis lupos clamoribus tantummodo abigere, non etiam canibus diſcerpendos tradere conceditur; id ſaltem a Ca-

tholicis

tholicis Principibus, maxime vero Episcopis extorquere nemo præsumat, vt Ecclesiasticam disciplinam, cuius tutelam suscepere, proterentes, hæresiarchæ indignissimum caput Regio diademate ornari sustineant. Quid in simili fere causa decreuerint sanctissimi doctissimiq. illi eorum Symmystæ, venerabiles Patres, qui ad oppugnandam iconomachiam secundo Nicææ conuenerunt, animaduertant. Quærebatur ab œcumenico cœtu, quid circa lapsos obseruare in posterum deberet Ecclesia. Illi, vt erant sacræ disciplinæ callentissimi, lapsos quidem ita demum ad eũ in quo fuerant gradum restituendos esse statuunt, si hæresiarchæ non fuerint; tales alioqui omni & obtenti & obtinendi honoris spe perpetuo mulctantes. In primis (aiunt act. 1.) cum a vi cessatum esset, Synodusq. præsentium, & eorum qui longinquas nationes incolebant, Episcoporum haberetur; nec modo comministris qui per Græciam passim habitant, verum etiam in Gallijs & Hispania; communi decreto placuit, vt & hic & vbique gentium quicumque lapsi essent proprio arbitrio, & antesignani fuissent impietatis; si resipiscerent, ignoscendum quidem illis, verum non restituendos in cleri numerum. Qui vero non auctores, sed necessitate & violentia compulsi fuissent; visum est illis quidem ignoscendum, & in cleri locum restituendos, maxime cum probabilem defensionem & excusationem dederint. Ad hæc ex Athanasij sententia ita

„ decernunt: Placuit hoc, quod hic & vbique, vt
„ ijs quidem qui lapsi sunt, impietati autem præ-
„ sunt, venia quidem detur pœnitentibus ac re-
„ sipiscentibus, locus tamen cleri non detur: ijs
„ autem qui impietatis auctores non fuerunt, sed
„ vi & necessitate tracti sunt, visum est dari ve-
„ niam, habereq. etiam locum in clero.

At a nobis tandem hoc loco eorum obiectis breuiter respondendum est, qui Henricum improprie hæresiarchā appellari opponunt. Quasi vero tantum hæreseon nouarum auctores, aut earum quæ in fœtidissimis sepulcris condebantur, effossores, hæresiarchæ dici debeant. Atqui vana nimirum esset vocis huius etymologia, si non & illis, quorum auctoritate hæreses propagantur, ac proinde principem inter hæreticos locum obtinent, nomen conueniret. Quapropter nulli aptius hæresiarchæ dici quidem possunt, quam hæretici Reges: eorum enim exemplo, patrocinio, tyrannide hæreses nutriuntur, fouentur, defenduntur. Sic Gregorius Theologus Iulianum Imperatorem dogmatisten vocauit, non quod Ethnicā superstitionem (quamuis & hoc illi alicubi impingat) docuisset, sed quod eius exemplo semisepultus Paganismus iterum reuixerit. Lucifer Caralitanus Imperatorem Constantium Arianorum principem sæpenumero appellat: verum is quidem Arianismi scholam non aperuit, homo imperitus, & omnis litteraturæ rudis, auctore Ammiano: eius tamen illo tempore patrocinio eradicata

Orat. 3. Patrū sententia.

iam

iam Arianæ impietatis zizania ad magnam segetē pullularunt. Denique hunc ipsum Constantium Hilarius non alio sensu profanorum doctorem appellauit. *lib. aduersus Cōstāt.*

Quarta ratio.

QVARTA ratio sumenda nobis est ab ipsius Henrici aperta confessione. Nam ad ea Sixti V. verba, Henricus errores & hæreses ab ineunte adolescentia sequutus est: in hunc ille modum respondet: Quid vero verbi est, Ab ineunte adolescentia: cum illam religionem fere ab incunabulis ac prope cū lacte imbiberit? *In Bruto fulmine pag. 197.* E quibus quidem verbis non dubie in angulo, vel apud suos temere prolatis, sed palam, diserte, consultò vniuerso orbi propositis, quæso vos æqui & veri amatores, illius (etiam redeuntis) ad Galliæ sceptrum perpetuam inhabilitatem cognoscite. Si enim ad Catholicam fidem e Caluinismo cū lacte imbibito (scilicet is nunc Henrico labor) rediret: qui, rogo, aut deberet, aut posset nuperus iste Christianus, nouitius in religione, noue plantatus in Ecclesia, fidem tueri, pietatem promouere, prouinciam illam pestiferis hæresibus tot annos labefactatam sustentare, ac restituere?

Paulus quidem Apostolus a sacrorum munerum functione expressis verbis neophytos excludit: ne elati in superbiam (inquit Timo- *Sacra Scriptura.*

,, theo scribens cap. 3. prioris epistolæ) in iudi-
,, cium incidant diaboli. Et quod (vt Gregorius ille vere Magnus Siagrio testatur) ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, quam a nouitatis suæ humore siccentur: ne si accipiant pondera antequam solidentur, cunctam simul ad terram fabricam deponant.

Concilia. Iam Apostolico can. 79. eamdem doctrinam confirmari, apertum est. Quo quidem decreto consideratione dignissimum putamus, nō eum tātum qui ab idolis ad Christum recens accessit, excludi, sed illum etiam qui (φαύλης διαγωγῆς) ab improba viuendi ratione (ac proinde in virtute neophytus est) ad meliorem vitam redijt.

Post Apostolos idem statuerunt (antiquissima enim referemus) Nicæni Concilij primi Patres canone 2. Arelatensis secundi canone 1. Laodiceni canone 3. Sardicensis canone 13. Carthaginiensis sexti sub Bonifacio huius nominis I. Pontifice Romano in approbatione canonis Nicæni, Græcarū Synodorum a Martino collectarum canone 22. Siluester I. in Concilio Romano c. penult. Siricius epist. 3. Innocentius I. decreto 5. epistola 12. ad Aurelium. quorum quædam (additis quæ scripsit Hieronymus ad Oceanum in hoc argumento) leguntur apud Gratianum 48. dist.

Et quidem tanti fuit olim hæc obseruatio, vt Nicolaus I. vir sanctissimus & doctissimus, totiusq. Ecclesiasticæ disciplinæ vindex acerrimus, cathedræ suæ gladium ea potissimum de

causa

causa in Michaelem Imperatorem distrinxerit, quod neophytum (doctum alioqui magniq. iudicij virum) in Episcopum contra Ecclesiasticam traditionem elegisset. Hoc videmus (inquit & Hieronymus aduersus Pelagianos huius disciplinæ rationem reddens) nostris temporibus pro summa eligi iustitia. Nam si baptismus statim iustum faceret, & omni plenum iustitia; nequaquam vtique Apostolus neophytum refutaret. Sed baptismus vetera peccata conscindit, nouas virtutes non tribuit; dimittit e carcere, & dimisso, si laborauerit, præmia pollicetur.

Et vero etsi (ob ea quæ diximus, & mox dicemus de Regiæ ad sacerdotalem dignitatem quoad præsentem disputationem symbolo) sufficeret ad excludendum Henricum, quod de neophytis ad Ecclesiasticas dignitates non admittendis prædocuimus: at nominatim nec ad publica sæcularia officia nouiter ad fidem conuersos promoueri posse, expresse cauetur Concilij 4. Toletani canone 64. quem habet Gratianus 17. quæst. 4. cap. 29. Constituit (aiunt Toletani Patres) sanctum Concilium, vt Iudæi, aut hi qui ex Iudæis sunt, iudicia publica nullatenus appetant: quia sub hac occasione Christianis iniuriam faciunt. Ideoq. iudices prouinciarum cum sacerdotibus eorum surreptiones fraudulenter relictas suspendant, & officia publica eos agere non permittant. Si quis autem hoc permiserit, velut in sacrilegum ex-

communi-

„ communicatio proferatur; & is qui surrepserit, „ publicis cædibus deputetur. Ad quem locum plene per glossam, Archidiaconum, Turrecrematam, atque alios Gratianicæ collectionis expositores. Idem docet consentiens Doctorum sententia, teste Anania & Felino in cap. cum sit. de Iudæis, Decio & Ripa in cap. eam te. de rescript. Iasone in rub. ff. de iust. & iur. col. 1. Roman. singul. 672. Couar. initio primæ partis relectionis in 4. num. 8.

Cōmunis opinio Doctorum.

Quæ quidem Ecclesiastica constitutio optimo & æquissimo iure innititur. Quis enim præficiat populo Christiano eum, de cuius fide dubitari merito possit? Quis sine euidenti periculo illius dexteram districto mucrone armet, qui paulo ante a furore conualuit? Huc spectare certe credimus canonem 1. & 2. antiquissimi Concilij Ancyrani tempore Marcelli I. id est sub annum Christi 310. celebrati, quem refert Burchardus lib. 5. cap. 40. Iuo par. 2. cap. 49. Grat. cap. presbyteros. dist. 50. in quo præcipitur, vt presbyter, qui idolis sacrificauit, quamuis reuertatur, nullam functionem sacerdotalem exerceat, & specialiter illi prædicatio interdicatur. Hi (inquit) honoris cathedrā teneant, „ sed neque offerant, neque concionentur. Nec est dissimile quod de pœnitentibus statuitur in Conc. Toletano I. canone 2. (quem vt veteris disciplinæ incorruptum testem non solum Gratianus affert dist. 50. cap. 70. sed & ceteri omnes decretorum collectores) quo statuitur, vt pœni-

Concilia.

pœnitentes inter ostiarios vel lectores ex magna ecclesiæ necessitate admissi, prohibeantur Euangelium aut Apostolum legere; ne scilicet doctrina, & spiritualis institutio, & Euangelij latices per recenter ab hæreseon aut aliorum scelerum sordibus expurgatos ductus cum euidenti populi periculo deriuentur.

Facit non minus epistola 68. Cypriani ad Legionensem, Asturicensem, & Emeritensem Ecclesias in Hispania; in qua sacer ille martyr Martialem Episcopum in idololatriam lapsum admittendum esse docet ad cathedræ honorem post debitam pœnitentiam, sed nullo modo ad munera Episcopatus obeunda: ne improuidæ oues in lupum forte, pastorem esse credentes, inciderent.

Nec certe alia fuit mens canonis 3. Concilij Valentini in Gallia temporibus Damasi sub Fægadio (cuius meminit diuus Hieronymus) celebrati: qui innouans antiquiora alia Ecclesiastica decreta, lapsum sacrorum mysteriorum administratione & sacerdotali functione priuat. Non enim putabant Ancyrani, Toletani, & Valentini Patres, & martyr Cyprianus, verbum Dei, populi Christiani salutem, regimen Catholicorum secure committi posse tam recentibus maculis consperfis ac defœdatis: propterea oportere, vt omnis occasio abesset, qua ille qui nouus ad fidem veniebat, ac proinde non ita probatus erat, posset Ecclesiæ nocere.

Denique (quod & maxime dolendum est & notan-

notandum) non video qua ratione ab Ecclesiæ Catholicæ pastoribus vllo tempore peti aut sperari posit,quod ab ipsis hæreticis extorqueri,si historias consulamus,minime potuit. Asterius (teste Socrate Scholastico lib. 1. cap. 24.) Arianus quidam sophista fuit temporibus Magni Constantini ; qui cum inter suos Episcopatum auidisime desideraret & ambiret, quod tamen paulo ante, vtpote Ethnicus, idolis sacrificauerat, nō modo ab eo gradu repulsus est, sed nec admissus ad sacerdotale munus obeundum. Si igitur Ariani, Christi hostes, Trinitatis oppugnatores, pestes Ecclesiæ, de quorum impietate & execrandis sceleribus plenisimi sunt veterum libri,ita constanter Ecclesiasticam disciplinam obseruarunt, durumq. putauerunt hominem Paganismo paulo ante infamē, Episcopum constituere,a quo tamen de paucorum hominum peruersione dubitari tantum potuisset : fieri ne poterit, vt vera Ecclesia, Cathedra Petri,Rectores & Patres nostri,id est Episcopi, eamdem disciplinam, quam deserere Ariani noluerunt,vllo vmquam tempore proterant, vt in eo fastigio illum collocent, quo facillimum sit religionem Catholicam ab vniuersa Gallia exterminare ?

Quin-

Quinta ratio.

RElapſum, ſolemnem pœnitentem, hæreſiarcham, neophytum, Regia dignitate, qua nihil eſt in rebus mortalibus ſublimius, indignum eſſe, ex Dei præcepto, ſacris ſanctionibus, Patrum ſententijs, perpetua conſtantiq. Eccleſiæ traditione hactenus demonſtrauimus. Nunc referenda eſt vigens ab ipſius Eccleſiæ initijs eadem diſciplina, quæ de lapſorum pœnitentijs cauit: vt ex ea quidem aperte cognoſcatur, male eos de Galliæ Principibus & Epiſcopis, de patria, de Eccleſia, de religione mereri, qui perturbatorem pacis, Reipublicæ tyrannum, iuratum fidei Catholicæ hoſtem, illotis (quod dicitur) manibus, id eſt, ſine præuia ac delictis reſpondente pœnitentia (at quæ illa futura eſſet, inferius monſtrabimus) poſſe Chriſtianiſſimum illud ſolium conſcendere ſuadent.

In primis pœnitentias Epiſcoporum arbitrio relictas ſemper fuiſſe, non negamus. licuit profecto illis olim, hodieq. licet eas aliquantulum minuere, licet augere, & (quod Summiſtæ noſtri dicunt) quantum ad intenſionem, vel extenſionem, alterare. Hoc enim ſtatuerunt canon 5. Concilij Ancyrani I. & ſecundi Ancyrani 2. & ſecundi Arelatenſis 10. & quarti Aurelianenſis 8. Meleuitani 23. & Andegauenſis 13. notantibus ex Græcis Zonara & Balſamone, ex noſtris

Blaſtare

Blastare & Sabino: habet Gratianus in cap. mensuram. de pœniten. dist. 1. cap. tempora. & per totam 26. quæst. 7. Innocentius I. epist. 1. cap. 7. & III. (& ad illum Doctores) cap. Deus. de pœnit. & remissionibus. plene Nauarrus dicto cap. mensuram. num. 5. Ceterum vt hoc quidem admittimus, sic æque notum & indubium esse censemus licuisse numquam sine vlla pœnitentia, sine congrua satisfactione, nulla scelerum ratione habita, nullis temporis, loci, ac rerum qualitatibus perpensis, flagitiosos homines Ecclesiæ conciliari.

Sacra Scriptura. Id nos aperte docuit primus ille Ecclesiæ suæ Pontifex, vniuersorum & viuorum & mortuorum iudex IESVS, qui Hierosolymitanum templum impie nundinis vsurisq. polluentes & publice peccantes corripuit publice, eiecit palam, & normam correctionis & censuræ Ecclesiasticæ constituit. Christi vero discipulus Paulus Timotheum Episcopum efformans, „ Peccantes (inquit prioris cap. 5.) coram om- „ nibus argue, vt ceteri timorem habeant. Quibus verbis consentaneum est, vt frequẽter probatum, interlineale glossema, peccantes exponens conuictos & manifestos, addẽte etiam „ nec abs re Lyrano: Vt sicuti peccatum est no- „ tum, ita & punitio sit nota.

Concilia. Eadem doctrina antiquissimorum Conciliorum canonibus stabilitur, Nicæni I. canone 12. Laodiceni 2. Epaumensis 29. tertij Toletani 2. Vuormatiensis 25. Ticinensis 11. & 43.

quar-

quarti Carthaginiensis 75. & apud Gratianũ c. sacerdos. 26. q. 7. cuius ea sunt verba: Vt sacerdos pœnitentiam imploranti, absque personæ acceptione, pœnitentiæ leges iniũgat. Nam hac ratione Ancyrani canones 4. & 5. accurate nimis inuestigant criminum circumstantias, & considerari præcipiunt, an ij qui idolis sacrificarint, aut ad illa pransi fuerint, lætiori habitu & vestibus induti sumptuosioribus, aut certe pullis, atratis, & cum lacrymis accesserint; vt ab ijs pœnitentiæ qualitas modusq. diffiniantur. At audienda sunt patria decreta: nobis enim nunc eam legem imponimus, vt nonnisi ab ijs argumentum sumere, nec exteras aut peregrinas probationes liceat adsciscere. Turonenses itaque Patres sub Carolo coacti can. 22. Episcopis & presbyteris (aiunt) diligẽti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus, tempus abstinendi adscribant, vt iuxta modum peccati pœnitentibus abstinentia indicatur. Quoniam varie ab aliquibus sacerdotibus & indiscrete etiam iudicia proferuntur: ideo necessarium videbatur nobis, vt cum omnes Episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri cuius antiquorum liber pœnitentialis potissimum sit sequẽdus. Cabilonenses vero post Turonicos, eodem Imperatore, can. 34. in hunc modum statuunt: Quia Apostolo teste, non est personarum acceptio apud Deum, & in omnibus iudicijs cauenda est; multo magis in hoc

pœni-

,, pœnitentiæ iudicio præcaueri debet, vt nullus
,, ſacerdotum vmquam aut gratia aut odio alicu-
,, ius perſonæ ſecus iudicet, quam quod in cano-
,, nibus ſacris inuenerit, aut quod illi ſecundum
,, ſacrarum Scripturarum auctoritatem, & Eccle-
,, ſiaſticam conſuetudinem rectius viſum fuerit.
,, Si ergo medici, qui corporibus medicinam in-
,, ferre conantur, nequaquam præter perſonæ cu-
,, iuslibet acceptionem, ijs quos ſanare cupiunt,
,, cauterio, aut ferro, aut duris alijs quibuslibet
,, rebus parcunt: multo magis id ipſum his ob-
,, ſeruandum eſt, qui non corporum, ſed anima-
,, rum medici exiſtunt. Hactenus illi: quorum ſententiam & verba habet Carolus in Capitularibus lib. 7. cap. 59. & 60. Remenſis autem Synodus eodẽ tempore celebrata cap. 12. Ven-
,, tilata (ait) eſt ratio pœnitentiæ, vt ſacerdotes
,, certius intelligerent quomodo confeſsiones re-
,, cipere & pœnitentiam ſecundum canonicam
,, inſtitutionem pœnitentibus deberent indicere.
Nannetenſi deinde poſt Remenſem ſic decer-
,, nitur: Infirmus, qui neceſsitate mortis vrgente
,, confitetur peccata ſua, ſub ea condicione a ſa-
,, cerdote recõcilietur, vt ſi ei Dominus vitam do-
,, nauerit, ſecundum qualitatem delicti omnino
,, pœniteat.

Et quamuis ſatis ſuperq. ex ijs quæ attulimus, probatũ ſit quæ fuerit Gallicanarum Eccleſiarum de pœnitentijs imponendis ſententia: at operæ quidem noſtræ vtiliſsimum iudicamus, referre Pariſinorum Patrum canonem

eam

eam disciplinam (tanta fuit semper pijssimæ illi vrbi in vera disciplina constantia) grauiter commendantem. Quoniam (aiunt cap. 32.) ,, multi sacerdotum, partim incuria, partim i- ,, gnorantia, modum pœnitentiæ reatum suum ,, confitentibus, secus quam iura canonica de- ,, cernant, imponunt, vtentes scilicet quibusdam ,, codicillis contra canonicam auctoritatem scri- ,, ptis, quos pœnitentiales vocant; & ob id non ,, vulnera peccatorum curant, sed potius fouen- ,, tes palpant, incidentes in illud propheticum: ,, Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito ,, manus, & faciunt ceruicalia ad decipiendas ,, animas. Omnibus nobis salubriter in commu- ,, ne visum est, vt vnusquisque Episcoporum in ,, sua parochia eosdem erroneos codicillos dili- ,, genter perquirat, & inuentos igni tradat, ne ,, per eos vlterius sacerdotes imperiti homines ,, decipiant. Sacerdotes porro, qui aut muneris, ,, aut amoris, aut timoris, aut certe fauoris cau- ,, sa tempora modumq. pœnitentiæ ad libitum ,, pœnitentium indicunt, audiant quid Dominus ,, per Ezechielem prophetam terribiliter dicat: ,, Hæc dicit Dominus Deus: Quia loquuti estis ,, vana, & vidistis mendacium: ecce ego ad vos, ,, ait Dominus Deus, & erit manus mea super ,, prophetas, qui vident vana & diuinant men- ,, dacium: In concilio populi mei non erunt, & ,, in scriptura domus Israel non scribentur, nec in ,, terram Israel ingredientur: & scietis, quia ego ,, Dominus Deus, eo quod deceperint populum ,,

meum, dicentes, pax pax, & non est pax. Et post non multa: Cum caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum, & violabant me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmentum panis, vt interficerent animas quæ non moriuntur, & viuificarent animas quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs. Presbyteri etiam imperiti solerti studio ab Episcopis suis instruendi sunt, qualiter & cõfitentium peccata discrete inquirere, eisq. congruum modum, secundum canonicam auctoritatem, pœnitentiæ nouerint imponere: quoniam hactenus, eorum incuria & ignorantia, multorum flagitia remanserunt impunita: & hoc ad animarum ruinam pertinere, dubium non est. Hactenus Parisini Patres: quibus accedit (vt adhuc in Gallicanis decretis perstemus) Arelatensis Concilij primi can. 23. & secundi 9. & sub Carolo coacti 267. Remensis sub Ludouico 31. Agathensis 60. Pistensis 2. His enim apertis, & permultis alijs, quæ breuitatis studio omittimus, eius prouinciæ Conciliorum sacris sanctionibus decernitur, pœnitentes recipiendos quidem esse, sed per debitam, iustam, & scelerum magnitudini respondentem satisfactionem: alioquin Ecclesiastica disciplina omnino corrumperetur, vniuersus ordo & doctrinæ traditio corrueret. hac namque cõdicione loquutos fuisse eos, qui largiores fuerunt in admittendis lapsis, docet præ alijs Calixtus I. epistola 2. quam ad Episco-

pos Galliæ scripsit, cuius fragmentum est apud Gratianum c. ponderet. 50. dist. Galliæ enim Episcopi, vt erant Ecclesiasticæ disciplinæ obseruantissimi, sæpe dubitarunt, quis modus seruari deberet in recipiendis lapsis, & an ad dignitates & honores pristinos restituendi essent: & Ecclesiæ Catholicæ caput Romanum Pontificem de ea re consuluerunt. Quibus Calixtus in hæc verba respondet: Nos vero indubitanter tam Domini sacerdotes, quam reliquos Fideles post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus. Dignam igitur satisfactionem, non qualemcumque postulat Calixtus.

Pontificũ decreta. Quam quidem Ecclesiæ consuetudinem non minus agnouerunt ceteri sedis Apostolicæ Pontifices. Vt enim pauca de multis, nec antiquissima, vt quæ minus ad quotidianam praxim trahi soleant, omittamus; Felix III. epist. 1. c. 1. Ecclesiæ præfectos seuere admonet, vt pœnitentis & criminis qualitatibus ad amussim expensis, pœnitentiarum modum tempusq. diffiniant: Ne (inquit) per nostram facilitatem tribunalis excelsi iudicio quidquam derogetur; cui illa sunt rata, quæ pia; ea vera, quæ iusta. Quibus verbis Pontifex doctissimus iuxta & sanctissimus irritas aperte vocat in Dei iudicio pœnitentias, quæ secundum grauitatem criminum non imponuntur. Similiter Gregorius ille, quem (frementibus hæreticis) Ottho Fritingensis lib. 6. hist. cap. 32. in Ecclesiastico

ritu constantissimum fuisse testatur, quem inter omnes Pontifices præcipuo zelo & auctoritate viguisse tradiderunt Gotfredus part. 17. Nauel.gen. 37. quem miraculis claruisse ostendit Crant. lib. 5.metropol.cap. 20. quem multum commendat Sabell. ennead. 9. lib.3. Tyrius lib. 2. cap. 13. is (inquam) talis tantusq. vir eamdem Ecclesiasticam disciplinam edoctus, falsas pœnitentias in Synodo Romana cap.6. appellat,quæ non secundum sanctorum Patrum auctoritatem pro scelerum qualitate imponuntur, vt totidem verbis habetur apud Gratianum c. falsas. 34. q. 3. Nec aliter Innocentius & Vrbanus,vterque II.ille in altero Romano Conc.cap.16.hic in Claramontensi can. 21. & 22. & apud Melph. can. vlt. falsas pœnitentias prædictas vocant, & damnant; perfectas autem (sic enim illi loquuntur) exigunt, atque commendant. Nam etsi quod attinet ad reatum & culpam, virtute Ecclesiasticæ potestatis peccata deleantur: si vero pœnam spectes, iuxta pœnitentiæ quidem qualitatem & modum condonatio regulanda est.

Et tamen non Felix, Gregorius, Innocentius, Vrbanus, pluresq. alij, quos consulto omittimus, Apostolicæ sedis Pontifices, quod veteris disciplinæ ignari essent, in eum modum loquuti sunt: prædamnauerat namque longe ante eorum tempora Catholica Ecclesia illos, qui aliter de peccatorum remissione cēsuerant, vt Theodoretus testatur lib.4. hæreticarum fa-

bulatum

bularum de Audianis scribẽs: Hi (inquit) con- „
fessis donant remissionem, non tempus, vt iu- „
bent leges Ecclesiæ, præscribentes, sed sua au- „
ctoritate condonantes. Quos quidem ab ipsis- „
met hæreticis irrisos fuisse ac subsãnatos, idem Theodoretus scribit: nam addit: Scientes au- „
tem qui transeunt, id quod agitur, ludum es- „
se, vera quidem peccata celant, quædam au- „
tem parua & ridicula dicunt. Qui quidem vt Euangelij hostes, totiusq. Ecclesiasticæ disciplinæ profanatores, & Catholicorũ hominum scriptis confutati sunt, & tandem Cæsarum legibus proscripti. *l. Ariani. C. de hær. & Manich.*

Accedat eidem sententiæ confirmandæ sanctorum veterumq. Patrum auctoritas. Et primo ex Latinis Ambrosium Mediolanensem, ex Græcis Cæsariensem Basilium consulamus. *Patrũ sententia.*
Grandi plagæ (inquit ille ad Virginem lapsam „
cap. 9.) alta & prolixa opus est medicina: gran- „
de scelus grandem necessariam habet satisfa- „
ctionem. quod ipsum repetit lib. 1. de pœn. cap. 2. & 16. & lib. 2. cap. 5. Basilius vero serm. de pœnit. eisdem prope verbis ita scribit: Ma- „
gnum est peccatum; multa exomologesi est „
opus. leuis est lapsus; æquanda est pœnitentia. „
Ante Basilium & Ambrosium idem docuerat Cyprianus, vir & sanctitate illustris, & martyrio clarus, toto lib. de lapsis, & epist. 10. 15. 52. 55. 62. Augustinus homil. 50. cap. 15. & in enchirid. cap. 65. 70. 71. & lib. de pœniten. remed. Hieronymus in epitaph. Paulæ, Leo Ma-

gnus epiſt. 77. ad Nicet. & 90. ad Ruſticum (quæ fere omnia extant apud Gratianum diſt. 1. de pœniten.) Gregorius I. epiſt.4. ad Secundinum, lib. 7. regeſt. cap. 53. & eſt apud Gratianum cap. quia ſanctitas. 50. diſt. Chryſoſt. homil. 10. in Matthæum, Theodoret. in epitome cap. de pœnitentia, & ante hos Origenes homil. 7. in Ioſue, vt refert Gratianus cap. ſed illud. diſt. 45. alijq. quammulti ſacri auctores, quos prolixum nimis eſſet recenſere. Illud tamen teſtimonium, idq. cauſæ noſtræ valde conueniens, minime omittemus: eſt enim venerandum quoddam & veteris diſciplinæ, & Romanæ ſedis, Cardinalitijq. Collegij dignitatis monumentum: habetur autem in epiſtola Cleri Romani (ex horum enim ordine Cardinales olim fuiſſe, nemo dubitat) miſſa beato Cypriano, citaturq. a Gratiano in cap. abſit. 50. diſtin. Abſit (inquit Romanus Clerus) a Romana Eccleſia vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere, & neruos ſeueritatis euerſa fidei maieſtate diſſoluere, vt cum adhuc non tantum iaceant, ſed & cadant euerſorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum vtique non profutura præſtentur, & noua per miſericordiam falſam vulnera veteribus tranſgreſsionis vulneribus imprimantur, vt miſeris ad euerſionem maiorem eripiatur & pœnitentia. Vbi enim poterit indulgentiæ medicina proficere, ſi etiam ipſe medicus, intercepta pœnitentia, indulget periculis; ſi

tantum-

tantummodo operit vulnus, nec sinit necessa- „
ria temporis remedia conducere cicatricem?, „
Hoc non est curare, sed, si dicere verum volu- „
mus, occidere,&c. An quicquam excogitari „
potuit sedi Apostolicæ his verbis illustrius, sacro Collegio honorificentius, antiquæ disciplinæ dignius, ipsis etiam eiusdem sedis præcipuis cõministris Ecclesiarum pastoribus ad veram disciplinam amplectendam vtilius, ad cognoscendam euidentius?

Historiarum testimonia.

Iam historiarum testimonijs eadem antiquissima Ecclesiæ consuetudo demonstranda est. Vt autem omittamus notum illud, & quod in omnium ore versatur, de Magno Theodosio, quem Ambrosius nonnisi debite pœnitentem in communionem recepit (Theodoret. lib. 5. cap. 17. Sozom. lib. 7. cap. 23. & 24. Rufin. lib. 2. cap. 18. ipse Ambrosius lib. 5. epistola 28. & habetur cap. cum apud. 11. q. 3.) ab eoq. celebrem illam legem eam ob causam extorsit, quæ habetur apud Iustinianum sub titulo de pœnis: Illud etiam multo recentius de Henrico IV. Imperatore, quem Gregorius VII. ab excommunicationis vinculo liberare noluit, donec, deposito Regio ornatu, nudis pedibus, quamuis acerrima esset hyems, & gelu cuncta rigescerent (libenter enim ipsis historicorum verbis vtor) ad se veniret, & veniam peteret. Est profecto apud Eusebium in Ecclesiastica historia huius disciplinæ non obscurum vestigium illis verbis: Martyres nostri relapsos „

l. vindicari. C. de pœnis.

receperunt, viſa eorum cõuerſione & pœnitentia. Quæ docte explicantur a Ioanne Haſſelio Louanieſi profeſſore Theologo in ſententia ſuper facto Nectarij Tridentinis Patribus exhibita. Ad hæc, eiuſdem antiquæ traditionis idem Romanus Clerus in præcitata epiſtola ad Cyprianum luculentum teſtimoniũ reddunt, cum aiunt: Nec hoc nobis nunc nuper conſilium cogitatũ eſt, nec hæc apud nos aduerſus improbos modo ſuperuenerunt repentina ſubſidia: ſed antiqua hæc apud nos ſeueritas, antiqua fides, diſciplina legitur antiqua. Et recte quidem veterem diſciplinam vocant. Nam de Fabiano Romano Pontifice exemplum præceſſerat, qui Philippum Chriſtianum Imp. ad publicam pœnitentiam faciendam adegerat. referemus enim Euſebij lib. 6. c. 27. rem totã narrantis ipſa verba: Fama eſt (inquit) Philippum Imperatorem (Chriſtianus namque erat) cum in die precationum poſtremæ vigiliæ Paſchalis vna cum multitudine in eccleſia particeps fieri vellet, non prius ab Epiſcopo, qui tunc eccleſiæ præerat, permiſſum eſſe intrare, quam confeſsus fuiſſet, & inter eos qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur aſtricti, locumq. pœnitentiam agentibus præſtitutum occupabant, ſe ſua ſponte collocauiſſet. Epiſcopum dixiſſe, eum non alia condicione in eccleſiam recepturum fore: Imperatorem autem alacri animo & lubenti Epiſcopo morem geſsiſſe.

Nec alio certe pertinent publicæ illæ pœni-

tentiæ

tentiæ, de quibus diximus, quarumq. mentio passim in histori js occurrit. Eo enim consilio statutæ sunt, vt publica scelera publica vindicta pensarentur. Hinc antiquissima hodieq. vigens Pœnitentiariorum institutio, qui pœnitentum capita virgis publice verberant. Non enim cærimonia illa recens (quidquid oblatrent hostes Ecclesiæ) aut Romanæ Ecclesiæ commentum est, de qua plene docteq. a nostris in glossis ad cap. transmissam. de elect. cap. duobus. de sent. excomm. Thom. in 4. dist. 18. art. 2. q. 2. Nauarrus cap. sacerdos. num. 93. & 95. de pœnit. Verum illa quidem nullo adhuc (quod sciamus) manifestiori antiquioriq. eo quod proferemus testimonio comprobata. Optatus enim Meleuitanus (vixit ille ante Augustini ætatem toto pene sæculo) lib. 1. contra Parmenianum, dum sententiam & verba refert cuiusdam Purpurij Donatistæ de recipiendo Episcopo qui fuerat lapsus & reuertebatur, aperte (nisi fallamur) eam Ecclesiæ consuetudinē docuit. Tunc Pur- ,, purius (ait Optatus) solita malitia fretus, ,, quasi & Cæcilianus filius sororis eius esset, sic ,, dixit: Exeat huc, quasi imponatur illi manus ,, in Episcopatu, & quassetur illi caput de pœni- ,, tentia. Quibus quidem verbis Pœnitentiariorum (vt diximus) mos, qui virgis capita reorum publice verberant, quo veniam quantum ad exterius forum concedant, indicatur. Nec ab his diuersa est frequens illa phrasis in antiquissimorum Conciliorum quammultis decre-

tis occurrens, vt rei capita pœnitentiæ subdant. Gerundensis quidem canon 9. quem Gratianus habet dist. 50. (nec tamen id Concilium postremæ ætatis censendum) cum hæc
„ scriberemus, occurrebat. Is vero (ait) qui ægri-
„ tudinis languore depressus, pœnitentis benedi-
„ ctionem, quam viaticum deputamus, per com-
„ munionem acceperit, & postmodum reconua-
„ lescens caput pœnitentiæ in ecclesia publice
„ non subdiderit; si prohibitis vitijs non detine-
„ tur obnoxius, admittatur ad clerum.

Ius cōmune. Tandem non alio quidem iure vtimur, c. manifesta. c. quæsitum. de pœnit. & remiss. c. si quis presbyter. totusq. ille tractatus de purgat. canonica. Si enim grauiter peccantes, leuiter pœniterent; si publice flagitiosi, clanculum corriperentur: certe (vt cum Origene loquamur, quem allegat Grat. c. sed illud. dist. 45.) ex vno peccatore populus pollueretur, vna ouis morbida vniuersum gregē inficeret. Non enim tan-
„ tum pœnitentiæ fructus, aut Ecclesiæ in illa im-
„ ponenda mens, malorum hominum castigatio
„ est, sed & metus, terror, frenum alijs peccatori-
„ bus, ita sentiente Gelasio ad Lucaniæ & Brutiæ
„ Episcopos scribente, c. quapropter. 2. q. 7. Augustino Hipponensi, & Nicolao Romano Pontifice, ipsisq. sæcularium legum conditoribus, cap. non sunt audiendi. c. præcipue. 11. q. 3. l. aut facta. §. fin. de pœnis. plene Dominicus Soto in 4. dist. 29. q. 2. art. 5. multis rationibus adductis, quibus probat pœnitentiam publicam necessa-

riam

riam esse in publicis delictis. Quinimmo publicam peccati infamiam nonnisi per publicam purgationem diluendam esse, optimus ille Galliæ Episcopus Icmarus docuit, cap. si mala. 2. q. 4. Ilerdenses vero Patres seuerius adhuc statuerunt, cum aiunt: Presbyter si a plebe sibi ,, commissa mala opinione infamatus fuerit, & ,, Episcopus legitimis testibus approbare non ,, potuerit, suspendatur vsque ad dignam satisfa- ,, ctionem. cap. 14. ead. causa & quæst. apud Gratianum, a quo plurima huc spectantia eo loco adducuntur. Denique ea est praui exempli ad mores corrumpendos vis, vt publicum peccatorem nec in foro conscientiæ, id est, sacramentali confessione, absoluere, nisi publica peracta pœnitentia, licere, graues & docti viri existimauerint: quorum præcipuus est Thomas dist. 14. q. 1. art. 5. teste Nauarro cap. sacerdos. de pœnit. dist. 6. num. 93.

Addemus (quod idem Nauarrus num. 102. aperte docuit) non tantum publice flagitioso publicam (vt probauimus) pœnitentiam, sed & vitæ eam emendationem, quæ Ecclesiæ manifesta sit, quæ fratres, quos scandalizauerat, ædificet, esse necessariam, vt ad Fideliũ communionem recipi, & Ecclesiæ possit conciliari, vt probat Paludanus dist. 9. q. 3. estq. cõmunis Doctorum tam Theologorũ quam Canonistarum sententia. Certissimum tandem esse constat Leonis Magni illud in præallegata epistola ad Rusticum cap. 9. & apud Gratianum 11. q. 1. cap. *Cõmunis opinio.*

aliud.

aliud. illicitorum nempe veniam poſtulantem oportere nō modo ab illicitis, ſed etiā a multis licitis abſtinere. Non enim alio ſpectat vetuſtus ille Eccleſiæ ritus, quo pœnitētes ad euitandum ſcandalum, & ad plebis exemplum, frequentare conuiuia, balneiſq. vti prohibebantur, vt indicat Pacianus Epiſcopus in paræneſi ad pœnitentiam, & Barchinonenſis Synodus can. 7.

Claudemus igitur huius articuli diſputationē celebri illa ſententia Marci eremitæ, viri antiquitate & ſanctimonia venerandi, in ſermone de pœnitentia, qua huius ſanctæ diſciplinæ re-
,, miſsionem grauiter & ſeuere condemnat. Cum
,, quempiam ex ditioribus (inquit) delinquen-
,, tem videmus, corripere non audemus; ſed dici-
,, mus ſcriptum eſſe: Nolite ante tempus iudica-
,, re, quoadvſque veniat Dominus. At in abie-
,, ctioribus crimen aliquod leue nacti, mox in-
,, ſurgimus euulgantes; ac dicimus eſſe ſcriptum:
,, Peccantem coram omnibus argue. Atque ita
,, noſtram hypocriſim, ſiue malitiam, Scripturæ
,, teſtimonijs peruerſe tegimus.

Quapropter ſi is qui manifeſte, publice, in tot populorum ſcandalum deliquit, qui in ſceleribus ſorduit, qui anteſignanus impietatis fuit, non tantum ad communionem, ſed ad potentiſsimum Regnum moderandum per præſidentium facilitatem admitteretur ſine debita, iuſta, congrua, ſufficienti ſatisfactione, id eſt, ſine publica, graui, diutina pœnitentia, immo ſine notoria vitæ emendatione: plane præſules ipſi

non

non dispensatores, aut œconomi, sed dissipatores, & diuini patrimonij prodigi iactatores censendi essent: ille vero aperte declararet se esse furem, qui non intrauit per ostium, ut docuit Christus. Sacram enim pœnitentiã ostij nomine significari, & Hieronymus in Sophoniam, & multi antiqui alij Patres docuerũt. Recte igitur & ecclesiastice Leo ille Magnus in ea, quam citabamus, ad Rusticum epistola cap. 9. Qui ,,
idola (inquit) adorauerunt, nonnisi per pœni- ,,
tentiam publicam recipiantur. Non enim in ,,
crimine hæresis, secreta pœnitentia, congrua satisfactio (quam exigit Innoc. in cap. ad abolendam. §. 1. de hæret.) iudicanda est, vt aperte docuerunt S. Antoninus 3. parte sum. tit. 14. cap. 17. §. 6. Fel. in cap. accusati. col. vlt. de accusat. Menochius in terminis consultus lib. 2. de arbitrar. cas. 372. Rota in decisionibus antiquis tit. de hæret. dist. 1. num. 5.

Quapropter Galliæ Episcopis (nec enim grauor pluribus vrgere hunc locum) consideranda quidem sunt Innocentij I. viri sanctissimi verba in epist. ad Episcopos Macedoniæ cap. 5. & ne vere germaneq. Henricianæ causæ aptari possint, maxime præcauendum. At vero hi (ait In- ,,
nocentius) qui a Catholica ad hæresim transie- ,,
runt, quos non aliter oportet nisi per pœniten- ,,
tiam suscipi, apud vos non solum pœnitentiam ,,
non agunt, verum etiam honore cumulantur. ,,

Sexta ratio.

SEXTO obſtabit ſemper Hērico eius rei, de qua agitur, præſtantia, dignitas, maieſtas. Quid enim Regio nomine ſublimius? quid ſanctius, aut ſacratius? a quo ſane ordine inter mortalia lōgius abeſſe debet omnis flagitij vmbra, & ſuſpicio, nedum commiſsio & perpetratio.

Multa quidem huc ſpectantia ſacrarum litterarum teſtimonia prætermittenda ſunt, variæ ſanctorum Patrum ſententiæ ſilentio inuoluendæ, non pauca denique vel Ethnicorum auctorum dicta & apohpthegmata prætereunda, quæ omnia hoc tempore & in hac cauſa ex profeſſo collecta & notata paſsim proſtāt: nec lectorem pium & doctum ſimilibus morari oportet. Nos autem (quando rem vniuerſam Eccleſiaſtico more tractare conſtituimus) qualē Galliæ Regem eſſe deceat, ab eiuſdem gentis ſacris Concilijs, ab ritibus qui in Galliæ Regum conſecratione obſeruantur, ab titulis quibus illi præ alijs Regibus inſigniuntur, tandem a præteritorum Pincipum geſtis, breuiſsime tamen enarratis, oſtendemus.

Concilia. Pariſina Synodus ad annum ſalutis 830. ſub glorioſis Principibus Ludouico & Lothario celebrata, inter Eccleſiaſtica decreta omittere noluit quod eſſet Regale miniſterium: hoc enim non minus fere, quam illud, Chriſtianæ religioni in-

ni incumbit. Regale est ministerium (ait lib. 4. ,,
cap. 2.) populum Dei gubernare & regere cum ,,
æquitate, & vt pacem & concordiam habeant, ,,
studere. Ipse enim debet esse defensor eccle- ,,
siarum & seruorum Dei. Post quæ (ne singula, ,,
quod instituta breuitas vetat, referamus) multa ex diuinis litteris, Deuter. 1. & 16. Exod. 18. 2. Paralip. 19. Iob 20. 29. 34. Esai. 14. Hierem. 27. Daniel. 4. & 5. Amos. 9. Os. 8. & 13. Eccl. 10. Prouerb. 8. 14. 15. 20. 21. 29. Sapien. 1. & 6. quibus quidem locis de Regum fide, pietate, innocentia, iustitia, ceterisq. virtutibus copiose agitur. Idem docuerunt ijdem Parisienses Patres lib. 2. c. 2. & ante eos Aquisgranenses sub Ludouico Pio par. 4. a primo ad vltimum cap. Idem etiam statuitur Caroli Imperatoris præstantissimi capitularibus decretis lib. 7. cap. 24. cum sequentibus. At Meldensis Concilij sub Caroli iunioris Imperio & Sergij II. Pontificatu celebrati, decretum non omittemus. Illud quidem editum fuit in Holdonia villa, verum a Meldensibus Patribus postmodum approbatum, & eorum decretis insertum est. Ordo (inquit) Ec- ,,
clesiasticus, & canonica forma, atque monasti- ,,
ca religio sæpe a longe superiori tempore, cum ,,
minus religiosos Principes habuit, titubauit, & ,,
pene collabens deperijt; & iterũ cum deuotos & ,,
Dei zelo feruẽtes accipere meruit, resurrectione ,,
quadam reuixit, & vigorem recepit. E quibus ,,
verbis facile fiet perpendere, cum quæ fuerit de irreligiosis Principibus sancto illi conuentui

sententia,

ſententia, tum quos tandem fructus ex ſimilium tyrannide ſperare Gallia poſsit.

Hactenus autẽ Gallicanarum tantummodo Synodorum canones recitauimus, vt quales Reges nobiliſsima ea gens eligi, quales tolerari voluerit, manifeſto conſtaret. Equidẽ ſi adhæc externa Concilia cõſulamus, inueniemus can. 3. Toletani ſexti prohibitum eſſe, ne quis Regiæ dignitatis apicem ſortiatur, niſi prius pollicitus ſit ſe non permiſſurum quemquam in Regno ſuo violantem fidem Catholicam. Octaui autem canon 10. religionis Catholicæ aſſertorem Regem debere eſſe ſtatuit; & quod ad præſentem cauſam in primis ſpectat, nominatim iubet, vt aduerſus eam hæreſim futurus Princeps militet, quæ eo tempore Eccleſiam perturbarit. Et vero Marcelli I. Rom. Pontificis, qui Eccleſiam auno Chriſti *300.* rexit, ſententia in epiſtola ad Maxentianum non alio pertinet. „ Boni „ Principis (inquit, & habetur *96.* diſt. apud Gra- „ tianum) ac Regis eſt, eccleſias contritas atque „ ſciſſas reſtaurare. Nicolaus vero I. ad conſulta Bulgarorum reſpondens, cap. 18. potiſsimum Regum munus eſſe docuit, hæreſes extirpare, & pacatam & ſine diminutione Rempublicam cuſtodire: Vt hinc facile intelligere poſsimus, eum qui hæreſes fouet, ſchiſmatibus fauet, inteſtinis malis patriam perdit, ad ipſius Regni dominium euehi, ſi ſacram Eccleſiæ diſciplinam inuiolatam cupimus, nullo pacto poſſe.

Nã certe quæ ſit Regij nominis vis, & quot

populis

populis bona ex Principe bono, quot contra ex malo mala proueniãt, est apertissimum. Bo- „ nus Rex (vere & eleganter scripsit Bart. in l. in „ præsenti. in princ. 1. not. C. de his qui ad eccl. confug.) vtilior multo est mundo, quam bona „ lex. hæc enim mortua quidem dici potest, cuius „ vel auctor non extet, vel per desuetudinem ab- „ rogetur, vel mutis tantum litteris exarata frige- „ scat: at ille viuit in populorum exemplum, spi- „ rat ad vitium aut virtutem, ad vtilitatem siue „ perniciẽ Reipublicæ. Hinc, & quidem merito, „ vel sub ipsis initijs religionis nostræ obseruatum fuisse legimus Pauli Apostoli præceptum, quo Timotheum (1. cap. 2.) monet vt pro Principibus etiam tunc infidelibus Deum oret, vt Tertullianus ad Scapulam & in Apologetico, Arnobius lib. 4. aduersus Gentes, Iustinus martyr, & Athenagoras, & post eos Cyrillus Hierosolymitanus, & Chrysostomus, Ambrosius, & Augustinus, & ij demum omnes qui præcitatum Pauli locum interpretati sunt, docuerunt. Tanti nimirũ semper fuerunt in Ecclesia Principum quantumuis Ethnicorum probati mores. Sic Agapetus diaconus (vt paucissima de infinitis) Iustiniano Imperatori Regiæ dignitatis munera præscribens, Vt (inquit) apud „ nauigantes, cum nauta errat, modicum affert „ nauigantibus nocumentum; cum vero ipse gu- „ bernator, toti naui perniciem infert: non aliter „ in ciuitatibus si quis priuatus peccet, non tam „ Rempublicam, quàm seipsum lædit. At si ipse „

,, peccet Rex, vniuersam Rempublicam perdit.
,, Et postea: Vt oculus datus est corpori, sic mun-
,, do Rex accommodatur. Denique (vt argumenti istius capita studiosis lectoribus indicemus, nec in trito argumẽto hæreamus) videndus est Leo I. epistolis ad suæ ætatis Imperatores, & ea quæ est ad Turibium Episcopum, & Bonifacius I. in epistola ad Honorium, cuius pars habetur cap. 1. dist. 97. apud Gratianum. Illud autem nullo modo prætereundũ esse existimamus; ea nempe quæ attulimus, multo aptius Galliæ Regi, quam aliarum ditionum Principibus conuenire. Cuius quidẽ, iuxta patrias leges & antiquas consuetudines, tanta est in subditos potestas & auctoritas, vt eum Bald. in auth. hoc amplius. vers. quæro an filijs. C. de fideicom. *Corporalem in suo Regno deum* appellare ausus sit. *Monarcham & absolutum dominum* vocat Socin. cons. 77. in 1. col. & cons. 175. in 2. col. Card. Alex. ad cap. 1. quæ sunt regalia in vsib. feudor. Franc. Curtius cons. 49. col. 33. & 34. ibi, nono ostẽditur. Anton. Corset. in addition. ad Pan. in cap. quæ in ecclesiarum. in 2. col. de constit. *Polum, ad cuius nutum Regnum regitur & dirigitur*, idem Bald. cons. 416. in 1. par. Quæ omnia Gassaneus 5. par. catalog. cõsiderat. 30. Gregor. Tolosanus lib. 33. cap. 5. atque alij antiqui & moderni Gallici auctores totidem verbis referũt & sequuntur. Quid igitur in tanta legum licentia, quid in hac regiminis impunitate & populorũ indulgentia, Galliæ Prin-

ceps

ceps, si malus sit, non mali cogitet, non audeat, non patret?

Ceterum vt veniamus ad eiusdẽ Regis qualitates ab illius (vt diximus) consecrationis ritibus depromptas: illud tantum (nam hunc in primis locum vberrime a multis hoc tempore & his Galliæ casibus tractatum scimus, & impudentia fuerit exterũ hominem de his prolixe scribere) animaduertere oportet, Galliæ Regem, cum primum Regio sceptro donatur, sanctam Catholicam Ecclesiam se defensurum, in Remensis Episcopi manibus præstito sacramento polliceri. Hoc, inquam, Episcopi ipsi, & Proceres, vniuersaq. Gallia optime norunt; nos ab Aimonio lib. 5. cap. 39. & Tolosano lib. 6. cap. 14. num. 20. ceterisq. Gallicarum rerum historicis traditũ didicimus. Ad hæc, Regalium stemmatum significationes (quas Guillermus Benedictus, & Antonius de Sale, referentibus Gregorio & Cassaneo, plene docuerunt) aperte monstrant qua præditus fide, pietate, religione, innocentia eius Regni moderator esse debeat. Illud vero præ alijs, nec abs re nostra obseruat Cassan. 31. consider. §. 7. Regia Lilia hæresum extirpationem significare. Hoc enim (ait ille) „ ad Galliæ Regem potissimum pertinet. „

Verum (vt huius articuli disputationem absoluamus) tum præclarissimus ille *Christianissimi Regis* titulus, a sede Romana Galliæ Principibus tributus, ob oculos habendus est, tum complura alia eiusdem sedis in eosdem Princi-

pes vere paternæ pietatis teſtimonia: e quibus non eſt ſilentio prætermittendum, ijs qui pro illis Deum precabuntur, plures indulgentiarum dies Innocentium IV. Clementem V. Leonem X. conceſsiſſe, vt ab ipſis bullis conſtat, & tradiderunt gloſſa pragmaticæ in proœmio 3. verbo tueretur. Selua tract. de beneficijs quæſt. 23. Ferrald. priuileg. 3. Benedictus ad cap. Rainutius in verb. ſi abſque liberis. Elias Turonenſis Epiſcopus pro Concordata, Stephanus Durantius lib. 2. cap. 34. Denique optimorum Principum, qui in eo ſolio ſederunt, memoria perpetuo conſeruanda eſt: Clodoueos dicimus, Pipinos, Carolos, Ludouicos, Philippos. Hi enim (vt omnes probe norunt) eximia fide & pietate Catholicam religionem promouerunt, incredibili zelo & cōſtantia hæreſes extirparunt, ſummis vereq. Regijs officijs Eccleſiam Romanam proſequuti ſunt, ſingulari obſeruantia res Eccleſiaſticas ſacroſq. homines coluerunt. An igitur puriſsimis iſtis Lilijs inſigniatur turpiſsimarum hæreſeon propaginator? Chriſtianiſsimi titulum vſurpet, qui antiquiſsimam huius ſacræ appellationis religionem proſcribit? Catholica Eccleſia in incruento ſacrificio Deum pro eo precabitur, a cuius incolumitate & incrementis perniciem ſuam ipſa timet? qui illud ipſum tremendum myſterium ſemper irridet, qui ſæpius temerauit? & tandem præteritorum Principum Regium ſceptrum illæ manus moderentur, quæ in auitæ religionis defenſionem

inermes, ad nouorum deliriorum propagationem armatæ, Romanæ, id est Catholicæ Ecclesiæ, impiæ, sacris Ecclesiasticisq. rebus, locis, personis iniuriæ fuerunt?

Septima ratio.

SEptimo considerare oportet, diuino, naturali, & humano iure vetitum esse iure suo quemquam spoliare, aut alterius (vt nostri loquuntur) non delinquentis deteriorem condicionem reddere, l. id quod nostrum. ff. de reg. iur. l. si quis argentum. §. sin autem. de donat. per Doctores in l. 2. quod vi aut clam. Quæ certe diuini & humani iuris regula in Apostolicæ sedis rescriptis, quorum æquitas, iustitia, sanctitas spectatissimæ esse debent, adeo obseruatur, vt clausulam de non tollendo iure quæsito subintelligi de iure tradat & vere & communiter receptus Felinus in cap. capitulum. col. 17. vers. de duobus. de rescript. facit cap. tuarum. de auct. & vsu pallij, cap. ex parte. 3. & ad illud Abb. 2. not. de deci. atq. alij, quos Romanæ Rotæ iudices cumulant decis. 445. inter antiquas. *Ius commune.*

Quinimmo consentiens est Doctorum sententia; si quando ex Romani Pontificis rescripto ius quæsitum cuiquã tollatur, debere quidem rescripti verba potius improprie, vt id absurdi euitetur, quam proprie exponi. sic Romanus cons. 334. Dec. cons. 11. col. fin. Ias. in l. ex *Opinio Doctorum.*

facto.in 4.not.ff.de vulg.& pup.& in l.fin.(post Accurs.& Bart.) C.de iure deliber. Addo non ab hac regula recedendum esse,etsi is,cui rescripto ius tollatur, Iudæus,vel infidelis sit;& contra,si in quem transfertur,pia causa, vt totidem verbis docent Abb. in cap. quæ in ecclesiarum. de constit.& Innocent.in cap.quod super his.de voto. Alex.in l. pactum quod dotali.col.2.C.de pactis.Ias.in l.fin.col.6.de constit.

Denique hcc obseruandũ esse non in eá modo specie,quam ius quæsitũ in revocamus, verum in iure quæsito ad rem(is autem est casus de quo agimus) aperte docuit gloss.in c. cum olim.de consuetud. quã sequũtur Dominicus & Felinus in c. causam. col. 9. & in c. super. in 2. col.de offic.deleg.Ias.in l.quoties. C. de precib. Imp. offer. & in auth.quas actiones.col.4. C.de sacrosanct.eccles. Dec.cons. 407.& 607. col. fi. plenissime Gomezius in reg. de non toll. iur. quæs. Doctores in c. mandatũ. de rescript. Videndus Menchacensis lib. 3. §. 25. nu.3.& seq. de success.creat. qui octo vrgentibus iuriq. consentaneis rationibus ostendit nõ posse vllo iure aut consuetudine quidquam statui in damnum & detrimentum eius qui id non meruit.

Cum igitur Henrico III.Rege mortuo,excluso ad hæc & propter hæresim inhabili Nauarreno,Catholico proximiori (cui nihil legitimum obsit) vel certe Regno ipsi,ad quod iure naturæ & gentium Principum electio spectat, Regia iura delata sint: quæ,rogo,sit perfidia, quæ im-

pietas, his spoliatis, Nauarrenum admittere? filijs esurientibus & fame confectis, hostibus cibum porrigere? Quapropter omnem Henrico suisq. spem præcisam fore oportet, vt ad moderandum Galliæ Regnum, vel summi Ecclesiæ Pontificis, vel Episcoporum & Catholicorum Galliæ Principum, vel denique cuiusquam sani viri suffragio, habilis decernatur.

Octaua ratio.

Octauo obstabit semper Henrico simulationis & fictæ confessionis obiectio, si pendente tam ampli dominij spe ad Ecclesiam redierit.

Etenim disciplina est Ecclesiastica iam inde ab initijs Ecclesiæ obseruata, vt pœnitentis animus diligenter consideretur, quo Ecclesiæ Pastores, quibus id incumbere dicemus, facile fictum & coactum pœnitentem a vero & spontaneo discernant. Ita Ancyrani Patres decreuerunt can. 5. Episcopi (inquiunt) modum conuersionis considerent. Idem etiam statuerunt can. 7. & Nicæni I. can. 11. illis verbis: Quicumque germane & vere pœnitentia ducuntur. & 12. in quo ea verba merito notanda sunt: Examinare oportet consilium & speciem pœnitentiæ. Arelatensis vero Synodus 2. can. 10. Si eos (inquit) Episcopi viderint ex animo errorem deflere, & agere pœnitentiam. *Concilia.*

De qua re extat Eusebij Cęsariẽsis insigne testi-

Historia. monium lib.3. de vita Constantini cap. vlt. cuius ipsa verba subijcere non erit incongruum.
„ Et quoniam (inquit) lex hominum libros perscrutari iusserat, tandem manifesto deprehensi fuerunt hi qui vetitas & interdictas illas artes ad hominum perniciem comparatas consectati fuissent: qua de re omnibus (vt dicitur) opibus viribusq. laborabant, vt simulatione sibi salutem adipiscerentur. Alij forte ad spem, quæ in Deo optimo max. poni debet, vere & ex animo se transferre. Quos cum ecclesiarum præsides accurate internoscere studerent: alteros ouium pellibus obtectos adumbrata specie se insinuare conantes, procul amandarunt: alteros vero, qui idem integra & incorrupta mente instituerent, vbi temporis longinquitate explorando de illis satis exquisite periculũ fecissent, in multitudinem ascititiorum ascripserunt. E quibus verbis recte colligitur necessarium esse Ecclesiæ pastoribus discernere (vt diximus) fallaces & fictos pœnitentes ab ijs qui vere & ex animo Ecclesiæ communionem petunt.

Ius cõmune. Igitur vt ostendamus, pendente tam ampla cõuersionis mercede, nempe potẽtissimi Regni dominio, Henricum fucata resipiscẽtia & dolosa cõuersione verisimile fore Ecclesiam fallere: operæpretium fuerit id demonstrare ex nonnullis circumstantijs, quas in similibus causis considerare nos iubent leges: illud tamen principio (ne causam nostrã deteriorem faciamus) præmittentes, versari quidẽ nos in re euidenti,

l. continuus. §. cum ita. de verb. oblig.

certa

certa,& indubitata: ac proinde (nisi oporteret illos qui vel proterue vel ignorãter Henrico fauẽt, quoquo modo docere vel redarguere) haud necesse fuisse ad coniecturas confugere.

Si igitur ipsius pœnitentis personam consideremus, aperte inueniemus eius cõuersionem subdolam esse & fictitiam, vt qui toties (vt probauimus) Catholicam Ecclesiam deceperit. Hoc enim illud est, quod præcitati Ancyrani Patres can. 5. iubent. Ante omnia (inquiunt) & „ præcedens vita, & quæ subsequuta est, examine- „ tur. Et ijdem can. 7. Reliquam (aiunt) vitam „ Episcopi in vnoquoque inquirant. Quapropter „ aptissime huic causæ accommodabitur regula illa iuris, qua docemur ex consuetudine elici præsumptionem, l. si cui. §. 1. de accusat. l. iubemus. C. de probat. l. 1. C. si quis Imperat. maledix. notant Pontificij iuris interpretes in tit. de præsumpt. & in c. etsi Christus. de iureiur. Simancas in hoc ipso argumento feliciter versatus tit. 50. nu. 15. Catholicarum institutionum, vbi illa Marci Tullij verba citat: Perinde „ (inquit) vt opinio est de cuiusque moribus, ita „ quod ab eo factum vel nõ factum sit, existima- „ ri potest. Multa etiam alia adducit sanctorum „ Patrum & classicorum auctorum testimonia, quæ non sine lectoris commodo ab eo peti possunt: possemus & nos illis adiungere, quæ nominatim considerata Henrici persona, eius conuersionem aperte dolosam poterunt ostendere, nempe (vt ipse fatetur) educationem a puero

inter Caluinistas, amicitias & familiaritates cum eisdem, aliaq. id genus, de quibus docte per illos qui de suspicionibus & præsumptionibus agunt, & de reorum indicijs scribunt.

Secundo, maximam impœnitentis fictæq. redeuntis animi præsumptionem oriri constat ex breui temporis interuallo inter prauam vitam & conuersionem ad bonam, vt ex præcitatis auctoribus deducitur. Hēricus paulo ante Regis necem indignissimis conuitijs Pontificem Romanum, id est Catholicæ Ecclesiæ patrem, in eo libro, de quo diximus, impetijt, vt ex pag. 50. & *96.* & 196. & 202. & 207. & 209. constat: nos enim ne pios oculos & aures Catholicorum offendamus, libēter illa prætermittimus. Ceterum eo ipso die, quo Henricus interijt, noua inauditaq. metamorphosi aliquando tandem se futurum Catholicum, & illius quē paulo ante dire fuerat execratus, obedientem filium, multis persuasit. An igitur (cōtra vetus illud sapientium dictum: Nemo repente fit optimus, vt nec turpissimus momen-
„ to temporis:) ictu oculi, aurem ita præbuit sanæ
„ doctrinæ, vt ab eo sperari posset solida & sincera conuersio?

Tertio, ad eam circumstantiam, quæ ex modo & qualitate conuersionis sumenda est, notare oportet, destinasse quidem eo ipso tempore oratores ad sedē Apostolicā, vana spe & incertis promissionibus Catholicos Galliæ fouisse, sed ita destinasse, ita fouisse, vt ipse interim palam

Calui-

Caluinismum profiteretur, vt hæreticis Caluinianis septus consilium Pontificis expectaret, vt Caluinistarum simul & Catholicorum armis & opibus defenderetur. Quid igitur nos in deploranda ista totius Ecclesiasticæ disciplinæ profanatione dicemus? Quo nos vertemus in indignissima ista diuinarum rerum irrisione? Sufficiat repetere Basilij Magni fragmẽtum in epistola ad Euæsenos, quod & nos iam citauimus, & sancti Patres 7. generalis Synodi actione 1. referunt & venerantur. Quod si dicunt (ait Basilius) se resipuisse, doceant per scripturam suam resipiscentiam, & execrationem fidei, quam Constantinopoli susceperunt. Præterea ab hæreticis separent se, & simpliciores minime decipiant.

Quarto conijcitur fallax Henrici animus ex temporis circumstantia. Agitur de Regno adipiscendo: pendet bonus Henrici successus ex sedis Apostolicæ approbatione, ex Episcoporũ & Catholicorum Principum copijs, armis, opibus, suffragijs. Quis igitur sanus credat Henricum, pendente ampla ista præda, alia mente ad Ecclesiam rediturũ, quam vt tempori inseruiat, vt hac Catholicorum opera abutatur, vt per eos patriam inuadat, vt ad tyrannidem eorumdem indulgentia viam sibi faciat? Vetus illud est verbum & verissimũ, Iuris violationem regnandi causa facillime committi: quod multis exemplis probaremus, nisi difficilius & morosius esset illa referre, quam inuenire. Hæc si-

quidem

quidem libido sæpe sæpius ius ipsum naturale corrupit,& paternis fraternisq. cædibus homines polluit.

Concilia. Vt autem rem agamus more nostro, considerãda est vetus Ecclesiæ disciplina, quæ ad hanc rem etiam plurimum facit. Voluerunt enim antiqui Ecclesiastici canones, vt pœnitẽs nullo humano prætextu ductus, ad Ecclesiam accederet. Nam huc respexit præcitatus Nicæni Concilij canon 12. qui præcipit examinare, quo consilio, vel (vt est in antiqua versione) quo proposito reuertatur pœnitẽs: significans, multos nõ pure & propter Deum, sed ob mundanos fines pœnitere. Similiter & ab eadem disciplina descendit quod sub Leone Magno dubitabatur: an scilicet qui in tempore necessitatis propter ægritudinem & periculi vrgentis instantiam (quæ sunt Leonis verba in epist. ad Theodor. Foroiuliensem, relata a Carolo in capitul. lib. 5. c. 55.) præsidium implorabant misericordiæ, recipiendi essent. De quibus Arelat. Concil. 1. can. 23. seuere quidem & rigide ita decernitur. De his (inquiũt) qui apostatant, & antequam se ad Ecclesiam repræsentent, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate correpti petunt communionem: placuit eis nõ dandam communionem, nisi reualuerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ. Cuius quidem sanctionis ratio est, quod ij potius timore mortis, quam peccatorum dolore, ad Ecclesiam accedere credãtur. Carthaginiense ve-

se vero Concilium quartum canone 78. quem refert Gratianus 26. quæst. 6. quamuis ijs viaticum non neget; tamen si acceperint (inquit) ,, non se credāt absolutos sine manus impositio- ,, ne, si superuixerint. Nec aliter de eisdem Cōci- ,, lio Nicæno can. 13. (qui est in Gratiano eadem causa & quæstione) & Tolet. 4. tempore Theodori Papæ celebrato can. 53. & Triburt. can. 31. & collect. Martini Bracharen. can. 83. & Barchinonensi can. 8. (quamuis non adeo seuere) statuitur: permittitur enim vt detur illis in extremo vitæ communio, ita tamen, vt si conualuerint, inter oratione tātum communicantes sint, & vitam pœnitentiū ducant, & a communione segregati sint, donec sacerdos eorum conuersionem approbet: quod & Ancyranum Concilium can. 6. de ijs qui ad Synodi tempus conuersionē protrahunt, & similiter in periculo mortis sunt, decreuit illis verbis: Vt sub de- ,, finitione recipiantur: quemadmodum eo loco ,, explicat Theodorus Balsamon. Basilius etiam in epist. ad Amphilochium cap. 5. summam diligentiam adhiberi vult in his recipiendis.

Denique ad eamdem disciplinam pertinet quod olim statuerat Ecclesia, de ijs qui morbo oppressi baptizabantur, non ordinandis. In in- ,, firmitate (inquiunt Neocæsarienses Patres can. 12. & refertur a Gratiano cap. si quis. 57. dist.) baptizatus, presbyter non fiat, cū non volunta- ,, te, sed necessitate crediderit. Quod & Laodice- ,, no Concilio can. 47. & Parisiēsi sub Lud. & Lo-

thario

thario lib. 1. cap. 1. similiter statuitur. Et ante Neocæsarienses, Laodicenos, & Parisinos Patres, idem obseruauerat Romana Ecclesia sub Cornelio I. cuius ea verba leguntur (apud Eusebium lib. 6. cap. 36.) in epistola ad Fabium Antiochenum, vbi de ordinatione Nouati tractat: Cum priuata quadam gratia deligeretur
„ ab Episcopo Nouatus, vt vellēt eum ordinare
„ presbyterum, clerus vero omnis & quamplurimi
„ ex laicis prohiberent, dicentes non licere
„ clericum fieri eum qui in necessitate positus in
„ lecto gratiam consequutus sit: Episcopus ab
„ omnibus specialem gratiam poposcit, vt sibi
„ hoc de isto vno concederetur. Quæ omnia ea ratione nitebātur, ne (vt diximus) pœnitētes alio cōsilio ducti quam peccatorum dolore, ad Ecclesiam venirent. Quid igitur nunc Nicæni, Ancyrani, Arelatēses, Neocæsarienses, Laodiceni, Parisini Patres de Henrici causa statuerent? quid martyr Cornelius? quid vniuersa Ecclesia? quo loco esset apud eos illius personata cōuersio? qui non mortis metu (quod quidem tolerabile esset) sed dominandi desiderio ad fidem non certe venit, sed velle se venire simulat. Addo pro illius circumstantiæ consideratione eiusdem Nicæni Concilij primi canonem 9. & 24. apud Martinum Bracharensem, & in Gratiano cap. si quis presbyter. 24. & cap. si qui. 81. dist. & in epist. 5. Zachariæ Papæ ad Bonifacium Episcopum, statuere, nō videri eum peccata sua sponte confiteri, qui examinatus, accusatus, &

ab alio

ab alio præuentus ea cõfitetur, vt ad idem probandum citatur a Fulcodio in cõsultationibus q. 2. vbi ex ratione l. 2. §. si mater. ad Tertul. & l. vlt. C. de ijs qui latron. occult. vere docet eum esse spontaneum confitentem, qui non admonitus ad Ecclesiam venit & sese prodit. Quam sententiam probant Archid. & Ioan. And. in cap. vt commisi. de hæret. lib. 6. Quapropter Henricus non quidem spontanee accedere credendus est, qui ab instante necessitate præuentus, qui ab occasione admonitus, qui a præsenti rerum statu cõpulsus trahitur potius ad Ecclesiam, quam deducitur. *Opinio Doctorum.*

Quarta coniectura Henricianæ fictionis inde sumenda est (iuxta doctrinam communem scribentium de præsumptionum & indiciorum materia, & præ alijs Simanc. titulo 50. nu. 10.) quod filius talis esse præsumitur, qualis est pater. Atqui si Henrici patres & maiores, id est, eos qui olim a fide desciuerunt, consideremus, facile illius simulationem & dolosum animum detegemus. Est enim hoc & fuit semper proprium & germanum hæreticorum ingenium.

Hos veritas ipsa per Matth. cap. 7. rapaces lupos vocat, qui ouium pellibus se obtegunt, vt simplices decipiãt & in fraudẽ inducãt. Deinde c. 24. Videte (inquit) ne quis vos seducat. Paulus Apost. 2. Cor. 11. Eiusmodi (ait) pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum: ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. *Sacra Scriptura.*

Non

,, Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfi-
,, gurentur velut miniſtri iuſtitiæ. Petrus epiſt. 2. cap. 2. magiſtros mēdaces eos appellat, & cap. 3. in deceptione illuſores. Ioan. 1. cap. 4. iubet nobis vt numquam illis credamus, ſed ſpiritus ex Deo probemus. Iudas cap. 17. illuſores & ſecundum deſideria ſua ambulantes vocat.

Hiſtoria. Et quoniam hiſtoriarū monumentis eorumdem verſutia plane demonſtrabitur, referemus quæ de Ario Eccleſiaſtici hiſtorici conſtanter narrant. Scribunt enim Socrates lib. 1. cap. 19. Theodoret. lib. 2. cap. 3. Sozom. lib. 2. cap. 26. & 27. Niceph. lib. 8. cap. 47. illum vna cum Euzoio, ſoluto Nicæno Concilio, in quo eorum impietas damnata fuerat, perſuaſiſſe Conſtantino Imperatori, ſe iam catholice & orthodoxe ſentire, & fidem Nicænam ex animo recipere: & nulla mora, dediſſe quidem libellos, quibus id ſcripto teſtabantur, quorū exemplar extat apud eoſdem auctores. At non multo poſt redierunt ad vetus ingeniū, & nouas ſeditiones & ſcādala in Eccleſia concitarunt, vt ſequentibus capitibus ab eiſdem ſcriptoribus oſtēditur. Id vero quod de eiuſdem hæreſeos ſectatoribus ſcribit Euſtathius Antiochenus, cū propius ad cauſam noſtrā pertineat, non eſt omittendum.

Nota. Qui (inquit) aperte Arij inſaniam ſectabantur,
,, ij veriti ne auctoritate tanti Concilij in exilium
,, eijcerentur, procedentes in medium, vetitū Arij
,, dogma damnant anathemate, & litteris de fide
,, omnium cōſenſu compoſitis ſua manu ſubſcribunt.

bunt. Verum cum Episcopatus, huc & illuc ,,
quantum fieri poterat circumcursando, adepti ,,
sunt; opiniones quas damnauerant, primum ,,
ex occulto, deinde palam propugnare, varijsq. ,,
argumentis eas fallaciter roborare cœperunt, ,,
&c. An quidquam dici potuit, quo magis explicaretur præsens rerum condicio? Extat & apud Sozom. lib.2.cap.15. & Theodoret. lib.1. cap. 19.& 20. Socrat.lib.1.cap.10. libellus pœnitentialis Eusebij Nicomediensis, & Theognidis Nicæni, nullo alio consilio ab eis compositus & oblatus, nisi vt sedes suas recuperarēt; ad quas restituti, acrius & pestilentius Ecclesiam vexauerunt.

Verū operæpretium est audire, quæ de Macedonianis & Acacij fautoribus (nā hi post Arium emerserunt) scribūt Niceph. lib.10.c.40. Sozo. lib.6.c. 4.& ante hos Socrates Scholasticus, ex quo pauca referemus. Præterea (inquit lib.3. c. *Nota.*
21.) eodem tēpore cum Acacianorū mores, qui ,,
ad contentionem erant valde procliues, patefa- ,,
cti fuerunt; tum quam illud ipsum hominum ,,
genus ad Imperatorum voluntatibus satisfa- ,,
ciendum se semper comparasset, satis perspicue ,,
intellectum. Nam hi Antiochiæ, quæ est in Sy- ,,
ria, in vnum coacti, cum Meletio qui paulo ante ,,
se ab eorum communione segregauerat, fideiq. ,,
assenserat Consubstantialis, in colloquium ve- ,,
niunt. Quod propterea ab ipsis factum fuit, quia ,,
cum in magno honore esse apud Imperatorem, ,,
qui tum ibi erat, animaduerterent. Illi igitur ,,

,, communi consensu libellum componere, Con-
,, substantiali assentiri, fidem Concilij Nicæni ra-
,, tam facere, libellum denique Imperatori of-
,, ferre instituunt, &c. Deinde sub finem capitis
refert acutum Iouiniani scomma de conuer-
sione & resipiscentia eorumdem hæreticorum.
,, Hoc (inquit Socrates) hominum genus facete
,, perstringés Iouinianus, dixit, nemini obscurum
,, esse, eos non Deum, sed purpuram suam coluis-
,, se, Euripoq. admodum similes esse, qui modo
,, in hãc, modo in illam partem præcipitatur. Scio
Antiochenum Conciliũ inter Catholica & Or-
thodoxa Concilia a quibusdam censeri, illudq.
esse quod habetur tomo 1. Conciliorum, & cu-
ius extant canones 25. sed certe manifesto er-
rore ducuntur: quod (præter multa alia, quæ
hic referendi non est locus) probant subscri-
ptiones Episcoporum, quæ in nullo prorsus no-
mine conueniunt cum ijs quæ habentur in So-
zomeno & Socrate. Quare credendum est, eius
Concilij canones, si quos edidit, vtpote ab hæ-
reticis decretos, abolitos statim fuisse ex Ca-
tholicorum mentibus & Ecclesiæ consuetudine.

Adhæc, quæ de Meletio, Vitale, & Paulino
scribit Hieronymus in epist. ad Damas. 58. in
,, nuper excusis, recitemus. Meletius (inquit) Vi-
,, talis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt. Pos-
,, sem credere, si hoc vnus assereret: nunc aut duo
,, mentiuntur, aut omnes. Quibus verbis do-
cet Hieronymus, impios eos homines simulasse
se cum Damaso sentire, quo ipsum in erro-

res

res suos fraudulenter pellicerent. Sic Apollinarem & Paulinum scribit in historia Theodoretus iactare solitos se cum Romana Ecclesia sapere; vt sic errorum suorū præsentissimum venenum securius & facilius in Catholicorum mentes instillarent. Tandem nō alia erat mens vani Eutychetis, cum quidquid Leoni Romano Pontifici placeret, se sequuturum pollicebatur, vt ex historia Ecclesiastica, Concilij Chalcedonen. actionibus, & Cyrilli epistolis facile colligitur.

Omittimus multa alia & maxima & vrgentissima impœnitentiæ Henrici, quæ ipsi semper obstabunt, indicia, immo (vt proprius loquamur) perspicuas & euidentes probationes; quæ vtinam non essent Ecclesiæ Catholicæ adeo cognitæ & manifestæ, vt saltem graue scandalum cessasset, quod hanc ob causam ortum, quodq. in dies, nisi diuina misericordia Ecclesiam suam respiciat, & Ecclesiæ Patres Principesq. Galliæ viri Christianæ religioni sedulo consulant, orietur. Verum enimvero (quod dolendum est) nemo vel ex ipsa plebe nescit quorsum tendant Henrici promissiones: vt vere quidem & germane dici possit profani scriptoris illud:

Sed videt hunc omnis domus & vicinia tota
Introrsum turpem, speciosum pelle decora.

Tertia pars.

INdicauimus hactenus (quantum per institutam opusculi breuitatem & ingenij industriæq. nostræ mediocritatem licuit) sacram Ecclesiasticam disciplinam, & ab ea perpetuam Henrici Nauarreni incapacitatem ostendimus. Sequitur (quod tertio proposuimus) demonstrare, quot calamitates Catholicæ Ecclesiæ immineant, quæ vobis & patriæ vestræ (nam res ipsa sermonem meum ad vos cõuertit, Patres & Proceres Galliæ illustrissimi) maneant detrimenta, non modo ex Nauarræi dominio, verum e vestro cum eodem armorum & consiliorum consortio & communione.

In primis autem breuiter significemus (fugimus enim, vt par est, apud vos viros doctissimos eruditionis plausum in trito argumento ambire) horrenda illa Rerũpublicarum exterminia, quæ per omnem ætatem & sub omni religione sequuta sunt, dum nouus Rex pietatem & sanctimoniam simulans, post adeptas rerum habenas ad veteres mores & ingenium redit.

Longũ sit a Iudaicis historijs singula huc pertinentia referre, & in quas miserias ficta Principum fides & religio, vel certe sincera, sed succedens postmodum apostasia & hæresis electum illum populum coniecerint, enumerare. Saul a Deo Rex constitutus, simplicis & recti animi

vir, ab Ammonitarum cæde initia imperij feliciter auspicatus, non se modo domumq. suam, sed vniuersum populum gloria & spolijs illustrauit. Idem Philisthæos non semel profligat, & Amalecitas funditus delet: idq. in populi non minus quam Regis decus & vtilitatem cedit. At eum, postquam Deo restitit, & (vt ipse loquitur) sermonem Domini præuaricatus est, maximo suo malo tyrannum & oppressorem populi experti sunt: cuius tandem ob scelus (vt prædixerat Samuel) etiã Israel dedit Dominus in manus Philistijm. Quin immo eo infeliciter propria manu & gladio interẽpto, propter violatam suo tempore Gabaonitis fidem, dira fame quasi posthumis supplicijs populus diuexatur. Dauid, qui illi in Regio munere successit, vir Deo simillimus, vel regnante æmulo sibi Rege exul, seruus, latitans, populo vtilissimus fuit, quem a Philisthæis liberauit, Amalecitas spoliatos interemit, Syriam subegit, Idumæam seruire compulit, Ammonitarum copias deleuit: is tamen adulterij & homicidij reus, intestini belli initium & occasionem præbuit: &, quod miremur, ea fuit principatus Regis sanctissimi clausula, vt propter recensitum ab eo populum, quasi id flagitij populi ipsius, non potius auctoris sanguine expiãdum esset, septuaginta millia virorum misere perierint, Angelo percutiente, vniuersam gentem internecione delere, nisi misertus Dominus cohibuisset, parante. Prætereo (nam iusta volumina in hoc ar-

gumento vobis ſcripta ſunt) quæ de Roboamo a lege Domini recedente non modo ab Aegyptio Seſac profligato, ſed & illius populo in duram ſeruitutem redacto, ſacræ litteræ teſtantur. Ioas poſt mortem Ioiadæ ad idola ſe conuertit; & ex illo tam ipſe ad necem, quam miſera plebs infinitis ærumnis oppreſſa eſt. Quid vero de Achabo? an non in idololatriæ pœnam graui plaga apud Ramaoth vna cum populo percuſſus eſt?

Ceterũ ne ſingulis eius populi Regibus enumeratis, moleſti ſimus: hoc idem quod a ſacrá hiſtoria conſtat, profanis item monumentis edocemur. Quæ enim vmquam peſtis immanior Reipublicæ fuit Nerone? atqui ſic initio ſuæ tyrannidis pietatem iuſtitiamq. præ ſe tulit, vt in prouerbium etiam abierit *Neronis quinquennium*. cum vero ingenium prodere ſecure potuit, in eam certe Reipublicæ perniciem perſonam depoſuit, vt parens, vxor, educator impia truculenti mõſtri feritate perierint, eiuſq. mens furore ebria ipſum vniuerſum genus humanum prorſus delere conceperit. Iam ad noſtra veniamus. Nulli obſcurum eſt Iulianum Imperatorem prima ætate adeo ſe Chriſtianæ religionis ſtudioſum ſimulaſſe, vt & ſacris etiam myſterijs initiaretur, vt ex Socrate lib. 3. cap. 2. Sozom. lib. 5. cap. 2. & 3. conſtat. Sic vero ille Conſtantij beneuolentiam callide ambibat, vt Imperij ſucceſsionem adipiſceretur. Vt autem Conſtantio mortuo, ſecure potuit laruam abijcere; im-

piam

piam,quam animo fouebat, idololatriam aperte euomuit; Christianam religionem palã proscripsit; nullaq. vnquã fuit in Ecclesia, ea quæ illo regnante grassata est, sæuior persequutio, vt ex Theodoret.lib. 3.cap.6. Sozom. lib.6.cap.2. Niceph.lib.10.cap.4. Oros. lib.7.cap.30. & 31. Athanasio, Basilio Nazianzeno, Hieronymo, & alijs eius æui scriptoribus colligitur.

Et quoniam sub Imperium eiusdem impij & vani simulatoris apud historicos de Ecebolio sophista (docuerat is Iulianum Rhetoricæ artem) nobile legitur exemplum ad id quod agimus demonstrãdum, referemus Socratis de eo scribentis verba. Ecebolius (inquit) Constantino- ,, politanus ad Imperatorum ingenia & mores se ,, conformans, dum Constantius regnabat, ar- ,, denter fidem Christianam se amplecti simula- ,, uit: dum vero Iulianus potiebatur Imperio, ,, Gentilitatem magnopere se colere monstrauit. ,,

Tandem ad hæcce tempora deueniamus. An non calamitosæ Anglici Regni historiæ & nos & posteros satis aperte commonebũt, nihil populis perniciosius esse, quam ei Principi parere, qui ad inuadendum secure dominium & obfirmandam tyrannidem, contra ingenium & mores, Catholicum & pium se gerat? Mortua enim Maria optima & Christianissima femina, ad cuius exemplum tota fere Anglia resipiscens, Catholicam religionem amplectebatur: cum Elisabetha haud tuto se posse Regno potiri cognosceret, nisi ad tempus Catholicis pellibus ami-

ciretur; id quidem illa minime inuita fecit: verum nō multo poſt, cum iam e publicis officijs & præfecturis viros Catholicos, quos Maria conſtituerat, deturbaſſet, & eorum loco hæreticos ſubſtituiſſet; illico quaſi ſigno dato, populos Caluiniſmo oppreſsit, & Catholicam & auitam religionem per apertam tyrannidem edictis, minis, mulctis, ſupplicijs a totius Regni finibus proſcripſit. Hoc enim illud eſt, quod ab ipſis Eccleſiæ initijs hæretici machinantur, dum ſub pietatis & Chriſtianæ modeſtiæ ſpecie docent, permittendum eſſe, vt pro libito de religione populi ſentiant. Sic enim olim Conſtantino, Conſtātio, Iouiano, Valenti, Zenoni (quo vero ſucceſſu, hiſtoriæ produnt) hæretici perſuaſerunt. Rimulam ſcilicet vafri homines aperiri tantum volunt, per quam irrumpant, & improuidam plebem adoriantur.

Hactenus vero, quæ damna timere poſsit Eccleſia ab Henrici imperio, oſtenſa ſunt: nunc breuiter explicanda illa, quæ non timemus, ſed ferimus, non inſtant, ſed adſunt, & quæ tandem non modo ab eius dominio imminent, ſed ex diutina iſta Catholicorum Principum & Epiſcoporum cum eodem communione iam patimur.

Prima consideratio de scandalo.

IN primis consideranda est ac perpendenda misera Ecclesiæ perturbatio,& Catholicorum scandalum, quod in dies perniciosissime crescit in multorum ruinam. De hoc vero vti potissimo totius causæ articulo dicturi, quædã scholastico more tractãtes præmittemus. Distinguemus enim cum Theologorum & Canonistarũ schola duplex scandali genus: monstrabimus quæ scandala vitari debeant:explicabimus sub qua reatus pœna scandala caueri oporteat.

Scandalum igitur alterum datum esse,quod scriptores actiuum; alterum acceptum, quod passiuum vocant,apertum est. Et quidem actiuum ex opere vere & realiter (vt loquũtur)malo, vel saltem ex eo quod speciem & apparentiam mali habeat, oritur. Passiuum autem ex opere non malo,nec habente formam aut imaginem mali,rudis,aut malus,præter vllam operantis culpam, patitur.

Actiuum scandalum (vt de secundo membro dicam) præbere, flagitium semper est, ac proinde nulla ratione aut prætextu permitti potest, quinimmo ad illud euitãdum tam temporalia quam æterna bona contemnere debemus.

Passiuum vero scandalum subdistinguimus, vt vel ex malitia scandalizati, vel ex ignoran-

tia gignatur. Si enim ex malitia; tota ſceleris moles in illum recidit; qui ſua ſponte, nulloq. vrgente, ſeſe præcipitat. vnde nec ſpirituale, nec corporale bonum eius ſcandali cauſa omittendum eſt. Si vero ex ignorantia ſcandalizati (quod ſacræ litteræ ſcandalum puſillorum vocant) naſcatur; ex ſpiritualibus quidem bonis illa tantum ſcandalizans omittere non debet, quæ ad ſalutem ex præcepto neceſſaria ſunt: quæ vero ex conſilio proponuntur, differre quidem ad tempus oportet, vt interim paruuli doceantur: temporalium tamen bonorum nulla ratio habenda eſt, donec fraternæ ignorantiæ poſsit ſubueniri.

Iam huius (vt tertium explicem) delicti grauitas e mentis & intentionis (vt ita dicam) fine perpẽdi ſolet. Si quis enim directe, præcipue, & per ſe ſcandalizare proximum velit, is quidem proprie & formaliter in hoc genere delinquit. vni vero diabolo tribui id poſſe, cuius ſcopus eſt animarum exitium, vera eſt ſententia: hominum enim quis ſit tam perditus? quis tam immaniter occæcatus? Nos quidem ſcandalizare proximum indirecte & per accidens ſolemus, quatenus vel cupiditatibus inſeruimus, vel per negligentiam occaſionem ſcãdali præbemus. Vnde praua & exorbitans a recto tramite actio appellationem accipit a materia & re ipſa, in qua verſatur.

Denique grauitas ſcandali cum ipſo opere, e quo naſcitur, regulanda eſt. Si enim id perpe-

trem

trem, quod in culpam venialem fratrem protrudat, peccabo quidem venialiter: si letale vulnus infligam, mortis etiam reus ero. Et certe notissima hæc axiomata ab omnibus probata, totidemq. verbis a Theologiæ & legum professoribus tradita, superfluum sit prolixis argumentationibus confirmare. Indicabimus igitur auctorum capita, si quis velit eorum sententias accuratius peruestigare. Ex Theologis consulendus est Thom. 2. 2. q. 43. ab art. 1. ad 8. & in 4. dist. 38. q. 2. art. 1. & quodlib. 4. art. 23. ad 3. Alex. Alensis 2. par. q. 189. memb. 6. Hadrian. quodlib. 1. art. 2. & 3. S. Antoninus in summa par. 2. tit. 7. cap. 4. Caiet. & Siluest. & ceteri Summistæ verb. scandalũ. Sotus in comment. epist. ad Roman. cap. 19. Cast. lib. 1. de iusta hæret. punit. c. 20. ex nostris vero Felin. cap. nihil. de præscript. post Archid. in cap. prima actione. de consecrat. dist. 2. Dominic. cap. licet. 46. dist. Card. in clement. 1. de off. ord. Ostien. in sum. de renunc. §. penult. gloss. & Doct. in cap. nisi cum pridem. eodem tit. & in cap. qui scandalizauerit. de regul. iur. & cap. latoris. de cler. excomm. minist. & in cap. sane. de temp. ord. & in clem. 1. de verb. signif. & in cap. 1. de nou. oper. nunc. & cap. comessationes. 44. dist. & in cap. constitutum. 50. dist. & cap. fin. 14. distin. & cap. etsi illa. 1. quæst. vit. & cap. inter verba. 11. q. 3. & cap. quid culpatur. 23. quæst. 1. & cap. primum. 22. quæst. 2. cap. ita enim. 30. q. 5. cum alijs multis, quæ

breui-

breuitatis causa omittimus. Quinimmo eadem doctrina & eisdem scholasticis phrasibus explicata aperte traditur ab Anastasio Episcopo Nicæno, qui vixit ad annum Christi 600. in quæstionibus in Scripturam quæst. 80. desumpta ex Basilij Magni fragmentis in tract. de regularibus.

Igitur vt ad præsentem causam veniamus, nō deerunt profecto (ea est infelix temporum nostrorum cōdicio) qui excluso ab Gallicani Regni spe Henrico, scandalum vocent, quod ipse, ijq. populi qui eius partes sequuntur, patientur: ita nimirum irritati, vt si quis adhuc in illis veræ religionis collucet igniculus, penitus restinguatur; si nullus, atrociores in Catholicorum & Ecclesiæ perniciem eorum animi reddantur: Et forsan (aiunt) breuis hæc Principum & Episcoporum conniuētia, & qui præstatur Henrico fauor, salutem afferat Galliæ, si interim Dei manus cor Principis istius ad saniorem sensum transferat. Verum enimvero quis neget hoc scandalū Pharisaicum esse, quod Dominus negligendum esse docuit? Quis, quod isti extorquere nituntur, iniquum & iniustum esse ignoret, & contra omne diuinum & humanum ius, quodq. sine graui Dei omnipotentis offensione præstari non possit?

Nam vero notissimus ille Ecclesiasticæ disciplinæ canon contra istos est de quo glo. & Doctores in c. qui scandalizauerit. de reg. iur. & cap. sane. de tempor. ordin. Thomas, Alex.

Hadria-

Hadrianus, & ij omnes quos locis præindicatis citauimus: nempe, veritatem doctrinæ non debere propter scandalum omitti. At miseri Galliæ populi vestram (Reuerendissimi Patres) sententiam expectant: omnes istæ animæ, quarum curã a Deo suscepistis, a vestris nutibus pẽdent. Quis igitur impius aut vos illis imponere, aut certe sincerã doctrinam aperte non docere posse vos dicat? Nec enim solũ Episcopus reus est, si vanam doctrinam tradiderit, verum si Orthodoxam & Catholicam, cũ vrget necessitas, docere distulerit, vt docte & copiose docuit Did. Cobb. dicta reg. peccatum. 1. part. num. 4. vers. secundo subinfertur. Si enim Origenes homil. 13. & 16. in Leuit. & 19. in Mat. Hieron. in Isai. 3. 21. & 30. Ambros. in Psalm. 118. serm. 13. Aug. lib. 17. Ciuit. cap. 4. atque alij quamplures veteres Patres doctrinam eleemosynæ genus esse docent; quanto grauius peccabit Episcopus, qui plebi isti sitibundæ & fame confectæ, animamq. agenti, doctrinæ alimoniam negauerit, quam qui ob rerum corporalium indigentiam pereunti piam manum subduxerit? Adhæc, nec veritas vitæ (vt nostri loquuntur) nec iustitiæ propter istorum scandalum omittenda est. Et vitæ quidem veritas, quam bonum & æquum veteres appellarunt, omitteretur, si ille per Episcoporum negligentiam regnet, cuius imperium non modo ciuilia & gentium iura, sed diuina etiam violabit. Iustitiæ autem veritas, id est, subditorum incolumitas

lumitas, eodem Gallia potito, vere periclitabitur. Catholicorum enim, quos crudelissimis supplicijs & necibus Nauarræus afficiet, sanguis & animæ tradentur. Quis igitur vanum istud scandalum omni æquitati cõtrarium euitandum esse dicat? Quis sanæ mentis, præcepta illa iuris primæui, quæ vitæ societatem communemq. vtilitatẽ & iustitiæ ordinem respiciunt, (*Nulli irrogetur iniuria, Cuilibet reddatur debitum, Rectum & Reipublicæ vtile fiat*) temerarie negligat? Hæc certe immutabilia sunt, nec dispensationem admittunt, non ab Episcopo, non a Christi Vicario, non denique ab ipso Deo, qui (iuxta Paulum) fidelis permanet, & negare seipsum non potest: negaret autem seipsum, si æquissimas naturæ (cuius ille auctor est) humanis animis insitas leges præteriret, vt ostendit Thom. 1.2.q.100. art. 8.

Tandem quæ est ista proiectio, immanissimum scelus sub prætextu euitãdi huiusce scandali suadere? Communis & vera est sententia, non modo mortale, sed nec veniale peccatum committi posse scandali fugiẽdi causa, & quantumuis totius orbis salus inde constaret. Tho. & ceteri superius a nobis allegati, & celebris ille canon ab Apostolo sumptus, qui docet non oportere mala facere, vt bona inde eueniant. plene per gloss. & Doctores in cap. super eo. de vsur. & in cap. non magnopere. ne clerici vel monachi. cap. sicut non sunt. 23. quæst. 4. cap. qui ait. 14. dist. Christiana enim pietas, & recta ca-

cta caritatis ratio, quæ iubet ſcandalum euitare ne fratrum ruinæ ſpiritualiq. morti occaſionem demus, hæc eadem præcipit vt diligentius in nobis (quorum vtilitatem bene ordinata caritas quærere primum debet) eam ipſam mortem, id eſt peccatum, euitemus, vt grauiter reſcripſit Innoc. III. in c. 2. de nou. oper. nunciat.

Quinimmo ſimulatio (vt generatim loquamur) ſiue noxia, ſiue officioſa, ſiue in verbis ſiue factis conſiſtens, fraus eſt, ac vitium veritati cõtrarium, & ad mendacij crimen pertinens. Nec enim ipſi Apoſtolorũ Principi Petro ſimulare licuit, qui vt ſerio vereq. ſic merito a Paulo reprehenſus eſt, quod ad fugiendum Iudæorum ſcandalum, menſis & eccleſia Gentilium abſtinuiſſet, vt aduerſus Hieronymum, & Græcos Patres mitius de Paulo ſentiẽtes, recte docuit Auguſtinus contra Donatiſtas lib. 2. c. 1. & lib. 6. cap. 2. & in lib. de mendacio c. 15. & lib. de agone Chriſtiano cap. 30. & in epiſt. 8. vſque ad 19. Et huic quidem doctrinæ non parum fauet S. Petri Alexãdrini Epiſcopi & martyris quintus ille canon, quo præcipitur, vt is qui ad Gentilium aras ſe accedere ſimulauit, aut alium loco ſuo ſuppoſuit, & ſic tyrannos delùſit, ſeuere puniatur, & publicæ pœnitentiæ ſubijciatur.

Quapropter merito quidem peſtilentes illi homines reijciendi ſunt, qui quamuis non eo amentiæ ruerint, vt palam venenum propina-

re au-

re audeant, id est, impia dogmata probari a Catholicis Principibus Episcopisq. suadeant; at illa permitti posse docent, & ad tempus ad ea conniueri, vt maiora (si Deo placet) incommoda euitentur. His quidem, iudicio nostro, nihil aptius responderi potest, quam quod in lege veteri beatus martyr Eleazarus in simili prorsus causa respondisse legitur. Cum enim suaderetur, vt carnes lege sibi permissas ederet, sed simularet se (quod vrgebat tyrannus) prohibitis vesci, sicq. tormenta, imminentemq. mortem effugeret: constanter respondit: „ Non (inquit) ætati nostræ dignum est; fingere, „ vt multi adolescentes arbitrantes Eleazarum „ nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem „ decipiantur, & per hoc maculam atque execrationẽ meæ senectuti conquiram. Quamobrem „ fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo; adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo pro „ grauissimis ac sanctissimis legibus honesta „ morte persungar. Hactenus bonus ille legis diuinæ custos. Quocirca passiuum istud, voluntarium, malitiosum, Pharisaicum scandalum merito a sacratioris legis & sacerdotij vindicibus negligendum est. Crux enim Christi, qua nihil salutarius, scandalum fuit Iudaico populo, ipse Dominus eisdem Iudæis lapis offensionis & ruinæ, vt Paulus 1. ad Corinth. cap. 1. ad Gal. c. 5. & Petrus 1. cap. 2. testantur.

Iam vero de totius Ecclesiæ scãdalo perbreuiter dicemus. Et quidem nemo negabit verum & actiuũ esse, & ab ijs, qui Christianam religionem profitẽtur, necessario vitandũ. Ostendimus enim ab auctoritate Pauli, & Ecclesiæ sententia, non modo ex operibus aperte malis, sed his etiam quæ speciem tantum & formam peccati habent, simile scandalum oriri. Atqui clara est impietas, hæretico communicare, oppressorem patriæ fouere, hostem Ecclesiæ opibus, armis, consilijs iuuare. Sed demus, iustis de causis id fieri: & tamen ignotæ hæ sunt Christiano populo, ignotæ nationibus exteris: Ecclesia secretiora ista consilia penitus ignorat. Peccatur igitur in orthodoxam Augustini sententiam (in enarratione Psal. 49.) ab ipsis Scripturæ sacræ verbis desumptam, quæ pusillos & paruulos, quos scandalizare minime oportet, eos intelligit, qui de maiorum operibus iudicare nesciunt.

Cum igitur de Ecclesiæ scandalo tam aperte constet, superest flagitij huius pondus edocere. Omittamus vero antiquæ legis notissima testimonia, quæ passim ab scriptoribus adducuntur, Exod. 10. & 23. Leuit. 43. 1. Reg. 18. 2. Reg. 12. Psal. 48. c. 14. & 49. d. 20. & 68. c. 23. & 105. e. 36. & 139. b. 6. Esai. 8. 42. 57. Hierem. 5. 18. 48. Ezech. 3. 7. 14. 20. 28. 44. e quorum quidem locorum sententijs, & copiosis ad eos Doctorum commentarijs facile cognoscimus, quale flagitium sit scandalum dare. At

verba illa Christi præterire non debemus (nã & eiusdem cælestis magistri, cum primum palam incepit docere, quasi quædam primitiæ fuerunt, & apud Matthæum cap. 5. & 18. Marcum 9. Lucam 17. summo consensu leguntur)
" Væ (inquit Dominus) homini illi, per quem
" scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes
" tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce
" abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debi-
" lem vel claudum, quam duas manus vel duos
" pedes habentem mitti in ignem æternum. Et
" si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proij-
" ce abs te: bonum tibi est vnum oculum haben-
" tem in vitam intrare, quam duos oculos haben-
" tem mitti in gehennam ignis. Videte ne con-
" temnatis vnum ex his pusillis. Ad quem locum notanda quidem in primis est ab Episcopis S. Ioannis Constantinopolitani in homil. 1. de illis verbis Pauli [Modico vino vtere] doctrina.
" Si graue est (ait Chrysostomus) & minime ne-
" gligendum scandalum in membris; quid dice-
" mus, cũ caput scandalizat? Hinc enim Paulus, quem Gregorius Nazianzenus in orat. de laudibus Basilij veluti ideã & archetypum Ecclesiarũ pastoribus proponit, inter præcipua Episcopalis muneris censet scandalum euitare; ne commissus grex offendiculis absterreatur a via
" Domini. Quis (inquit 2. Corin. 11.) scandaliza-
" tur, & ego non vror? Quis infirmatur, & ego
" non infirmor?

Concilia. Verum ex sacris Conciliorum constitutioni-

bus

bus ostẽdamus, in causis huic, in q̃ua versamur, similibus, id est, in admittendis lapsis, & Ecclesiæ communioni restituendis, maximam semper rationem adhibitam fuisse, ne scandalum Ecclesia pateretur. Non enim alio pertinet rigida illa, ac pene acerba disciplina, quæ præter longissima pœnitentiæ tempora pro leuibus quandoque criminibus imposita, eisdẽ lapsis, in mortis etiam limine constitutis, communionem sæpe negabat. Id siquidem eo cõsilio habuebatur, ne alijs Ecclesiæ lenitas & indulgentia occasio esset ad lapsũ. Sic Tharasius Episcopus ab œcumenico septimo Cõcilio act. 1. approbatus: Plurimi (inquit) canonici, sanctarumq. Synodorum ac Patrum libri lecti sunt, qui docent nos reuersos ab hæresi recipere debere, modo non subsit improba aliqua causa. Patres enim a frequentiori consuetudine recedendum esse putauerunt, cum talis esset causa, quæ aliquam Ecclesiæ offensionem pareret, vt Latini eius loci commentatores exponunt.

Hoc idem Leo Magnus perspicue docuit, cum ad Aquileiensem Episcopum scribit clericos ab hæresi reuersos recipiendos esse, & pristino dignitatis gradui restituendos, exceptis ijs tantum qui baptismum iterarant. Quod ea ratione statuit Leo, ne eorum admissio cederet in aliorum scandalum: ea enim tempestate hæresis Anabaptistaria supra modum Ecclesiam infestabat, vt historici tradiderunt. Vnde & Leo ipse in epist. 37. ad Leonem Rauennatem Episcopum Ep. 3.

iteratione͂ baptiſmi inexpiabile facinus eodem ſenſu appellauit:& epiſt.79.ad Nicetam cap. 6. (eius fragmentum eſt in Gratiano cap. tempora pœnitudinis. 26.q.7.) multo grauius in eoſdem, quam in aliarum hæreſeon ſectatores animaduerti iubet. Verum Auguſtinus in epiſtola 50.ad Bonifacium, & apud Gratianũ c. vt conſtitueretur.50. diſt. adhuc Leone diſertius eamdem diſciplinam oſtendit. In huiuſmodi cauſis (inquit Auguſtinus, iubens ne vllus poſt publicam actam pœnitentiam ad ſacrum ordinem redeat) quando per graues diſſenſionum ſciſſuras non huius aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages iacent, detrahendum eſt aliquid ſeueritati, vt maioribus malis ſanandis caritas ſincera ſubueniat. Cum igitur in hac cauſa animarũ ſtrages propter ſcandalum iaceant, cumque tot populorum ſpiritualis incolumitas periclitetur; quis neget oportere non quidem contra Eccleſiaſticos canones facere (quod forte graue eſſet) detrahendo quidquam ſanctæ & auitæ diſciplinæ, ſed eos ipſos ſacros canones obſeruare, eamdem Eccleſiæ diſciplinam illæſam cuſtodire, & Epiſcopali ſolicitudine tot malis medicinam præbere? Ceterum audiendus eſt beatus martyr Cyprianus, qui in eodem argumento multo apertius Leone & Auguſtino loquitur. Ille igitur lib. 1. epiſt.3. ad Corneliũ Papam ſcribens, de modo quem in recipiendis lapſis obſeruabat, hæc habet, digniſsima profecto quæ a Galliæ Epiſco-

pis

pis hoc tempore frequentissime legantur: Nos, „
a quibus ratio Domino reddenda est, anxie „
ponderamus, & solicite examinamus, qui reci- „
pi & admitti ad Ecclesiam debeant. Quibus- „
dam enim ita aut crimina sua obstant, aut fra- „
tres obstinate & fremitu renituntur, vt recipi „
omnino non possint, cum scandalo & pericu- „
lo plurimorum. Nec enim sic putramina quæ- „
dam colligenda sunt, vt quæ integra & sana sunt „
vulnerentur: nec vtilis aut consultus est pastor, „
qui ita morbidas & contactas oues gregi ad- „
miscet, vt gregem totum mali cohærentis af- „
flictatione contaminet. O si posses, frater ca- „
rissime, istic interesse nobiscum, cum praui isti „
& peruersi de schismate reuertuntur: Videres „
quis mihi labor sit persuadere patientiam fra- „
tribus nostris, vt animi dolore sopito, recipien- „
dis malis curandisq. consentiant. Namque vt „
gaudent & lætantur, cum tolerabiles & minus „
culpabiles redeunt; ita contra fremunt & re- „
luctantur, quoties inemendabiles, & proterui, „
& vel adulterijs vel sacrificijs contaminati, & „
post hæc adhuc insuper & superbi sic ad Eccle- „
siam remeant, vt bona intus ingenia corrum- „
pant. Vix plebi persuadeo, immo extorqueo, „
vt tales patiantur admitti. At iustior factus est „
fraternitatis dolor ex eo, quod vnus atque alius, „
obnitente plebe & contradicente, mea tamen „
facilitate suscepti, peiores extiterũt, quam prius „
fuerant: nec fidem pœnitentiæ seruare potue- „
runt, quia nec cum vera pœnitentia venerant. „

Hactenus Cyprianus, cuius verba an Henricianæ causæ conueniant, vel eorum qui ipsi fauent iudicium deposco.

Tandem vt sceleris grauitatem, quæ ab scandalo oritur, demonstremus; scire oporte, Christi Vicarium, orbis Rectorem, Ecclesiæ vniuersalem Episcopum, de cuius suprema potestate tam aperta in sacris litteris testimonia extant; si tamen scandalum dederit Ecclesiæ, si populos sibi creditos offenderit, posse adiri, obsecrari, rogari, suaderi, denique Ecclesiam cogi, quæ eum moneat, & quæ ei in scandalo perseueranti resistat. quæ omnia totidem verbis ex Ioanne Turrecremata Sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinale transcripsimus, in summa lib. 6. cap. 106. ille vero a Paludano, Ostiensi, Innocentio, & Archidiacono eadem mutuatus est, a quibus nec dissentit Siluester in summa verbo Papa. num. 4. ad fin. facit glos. celebris in cap. si Papa. 40. dist. quam sequuntur Præpositus, & Bellamera, & Romanus cons. 523. a num. 13. vsque ad 17. Abb. in disputat. Episcopus & quidam rector. & in tractatu de Concilio Basiliensi in 2. princ. vers. tertio dixi quod potest comprobari. & in oratione habita ad idem Concilium, quæ incipit, Maximum, &c. Dec. in cap. cum venissent. num. 5. de iudic. & cons. 151. quod incipit, Maximi ponderis. Ioan. Nicol. in tractatu de hæreticis not. 12. atque alij tam ex Theologis, quam ex Canonistis, quos nimis prolixum sit enumerare. Nos a glossa, Abb. &

Romano

Romano dissidemus, quatenus illi volunt non modo ab Ecclesia Papam moneri, corrigi, atque illi resisti posse, sed & eumdem propter scandalum priuari ac deponi: hoc enim ab Orthodoxa doctrina prorsum alienum est; etsi tunc quidem verum existimemus, cum scandalum ad causam fidei pertineret, & circumuolutam haberet malitiam hæresis, vt vtamur verbis Ioannis Turrecremat. in commentario d. cap. si Papa. num. 3. in princ. & fuit opinio Augustini Anconitani in summa de potestate Ecclesiæ, & Zabarellæ in tractatu de schismate, vers. quintus modus. in fine. *Nota.*

Quid igitur dicendum, quidve decernendum non quidem de totius Ecclesiæ capite Romano Pontifice, sed de Ecclesiæ membris, id est Galliæ Episcopis & Proceribus, putabimus? Nam quoniã (vt diximus) grauitas peccati in scandalo cum qualitate rei definiẽda est; facile constat in hac causa (de ipsa enim religione agitur, in qua per scandalum populus miserrime ruit) scelus ab ijs committi, omnium quotquot excogitari possunt, maximum, & teterrimum.

Secunda ratio.

ABSOLVTA prima consideratione de scandalo, secũda ratio pro hac tertia parte sumenda tota est ab Ecclesiasticis historijs; ex quibus eadẽ collatione facta Episcoporũ Galliæ ad Catholicæ

Ecclesiæ Episcopum, ex peculiaribus ad vniuersalem pastorem, ex plebium quarumdam rectoribus ad totius orbis præsidem, manifeste ostendemus quæ quantaq. incommoda Ecclesiæ obuenerint ob non dissimilem in hæreticorum communione toleranda facilitatem & conniuentiam.

Historia. Zepherinus (auctore Tetulliano lib. aduersus Praxeam cap. 1.) litteras pacis ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ, quæ ob Montanismũ fuerant segregatæ, misisse dicitur; quas tamẽ, impulsore Praxea, nulla mora reuocasse, idẽ Tertullianus testatur. Et vero hæc narratio, quæ ab vno tantum auctore, eoq. Montanismo infecto traditur, apertum est figmẽtum. Nam Zepherinus præter martyrij gloriam, vitæ fuit innocentissimæ, & fidei integerrimæ, vt ex duabus eius epistolis, quas habemus, vna ad Siculos, altera ad Aegyptios Episcopos, facile constat. Adhæc Eusebius lib. 5. cap. 28. aperte scribit Natolium confessorem communione Ecclesiastica fuisse a Zepherino priuatum, quod cum Asclepiadoro & Theodoro hæreticis cõmunicasset. Ceterum vniuersalis hic Ecclesiæ Episcopus, talis sanctimonia vir, tãtus auctoritate Pontifex, ob vnius scriptoris vanum testimonium, & ob pacem hæreticis non datam, sed dari tantum decretam, hæreseos accusatur, & a nostri temporis sectarijs de Montanismo arguitur. Quidnam igitur illi de Galliæ Episcopis? quid eorum mendacissimæ paginæ de hac causa futuris sæculis testabuntur?

buntur? Quid tandem liuidæ & malignæ mentes Episcopali eius Regni ordini imponent, si hæretico ab Episcopis non modo pollicita pax, sed data, non communio concessa, sed tyrannis & inuasio per malesedulos quosdam fuerit stabilita?

Liberium summum Pontificem honorificis encomijs celebrant ex Patribus Athanasius, qui ea ætate vixit, in apolog. 1. & 2. Basilius epist. 74. Ambrosius lib. 3. de virginitate, Epiphanius hæresi 75. & Siricius epist. ad Heymericum, ex historicis Ruffinus lib. 10. cap. 22. Sulpitius lib. 2. Socrates lib. 2. cap. 29. Theodoret. lib. 2. cap. 16. & 17. Sozom. lib. 4. c. 10. Ammianus lib. 15. Regino lib. 1. Hermannus & Scotus in Chronicis. At is ipse sanctus Pontifex tot testimonijs commendatus, suis etiam scriptis proditus (nempe confessione, quæ extat 1. tomo operum Athanasij, & epistola ad Aegyptios, quam habemus primo libro Conciliorum, & ad Constantinum Imperatorem, & ad Luciferum Caralitanum, quæ inter opera eiusdem Luciferi leguntur) hæresis notam non effugit: nam illum cum Arianis sensisse, ex antiquis scriptoribus tradiderunt Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes, Hieronymus in Fortunatio, Damasus in Pontificali, Sozom. lib. 4. cap. 11. & Marcellinus in Chronic. ex recentioribus Nicephorus lib. 9. cap. 37. Regino lib. 1. Contractus, & Marianus, & Platina. At ijs (si verum agnoscimus, & accurate histo-

historias consulimus) illud imposuit, vel quod Liberius Eustathio, Siluano, & Theophilo Macedonianis plus nimio facilem se præbuerit, vt testatur Socrates lib. 4. cap. 11. & notauit Sanderus lib. 7. de visibili monarchia num. 132. vel certe quod Vrsacium, & Valentem (vt alij opinantur) ad communionem admiserit.

Felix II. Liberij successor apertius nos, quanta solicitudine ab Ecclesiæ pastoribus vitanda sit hæreticorum cōmunio, docebit: is enim cum Catholicus esset, nullaq. praui dogmatis opinione (vt citem auctorum verba) maculatus, ob hæreticorum communionem hæreticus habitus est: nam de eo in hunc modum scribit
›› Hieronymus in Acacio. In tantum sub Con-
›› stantino Imperatore Acacius claruit, vt in Li-
›› berij locum Romæ Felicem Arianum Episco-
›› pum constitueret. Et Ruffin. lib. 10. cap. 22.
›› In eius (inquit) locum Felix diaconus suus ab
›› hæreticis subrogatur, & non tam sectæ diuersi-
›› tate, quam communionis & ordinationis con-
›› uenientia maculatur. Item Theodoretus lib. 2.
›› cap. 17. Successum (inquit) est Liberio a fide-
›› li quodam eius diacono nomine Felici, qui ta-
›› metsi fidem in Concilio Nicæno expositam ip-
›› se seruauit integram, tamen cum illis qui eam-
›› dem labefactare studebant, libere communica-
›› uit; ac propterea nemo ex Romæ habitatori-
›› bus in ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi
›› voluit. Idem fere legimus apud Sozom. lib. 4. cap. 10. & Marcellinum Comitem in Chronic.

Nec

Nec enim ſanctum hunc Pontificem ab ea nota liberarunt martyrij ſubſequuti laus, & ardens religionis zelus, quo poſtea flagraſſe certum eſt, vt qui Conſtantium Imperatorem hæreticum declarauerit, & anathemate percuſſerit, vt Pontificalis liber, & titulus ſepulchralis, vbi ſacræ eius reliquiæ quieſcebant, paucos ante annos inuentus, oſtendunt.

Anaſtaſij II. (qui vixit ad annum Chriſti 406. Anaſtaſio Imperatore, & Theodorico Italiæ Rege) tanta fuit in tuenda religione conſtantia, vt eumdem Imperatorem hæreticum ab Eccleſiaſtica communione pelleret: ſed cum Pontificalis liber teſtetur communicaſſe eum cum Acacij hæretici diacono, voluiſſeq. illum, quem Gelaſius & Felix prædamnauerant, occulte reſtituere, hæreticus ab ſcriptoribus appellatur, & Gratianus ab illius obedientia magnam Eccleſiæ partem defeciſſe ſcribit. Anaſtaſius (in- »
quit diſtin. 19.) natione Romanus fuit tempo- »
ribus Theodorici Regis. eodem tempore mul- »
ti clerici & presbyteri ſe a communione eius »
abegerunt, eo quod communicaſſet ſine Con- »
cilio Epiſcoporum, vel presbyterorum, & cleri »
cunctæ Eccleſiæ Catholicæ, diacono Theſſalo- »
nicenſi, nomine Photino, qui communicaue- »
rat Acacio: & quia voluit occulte reuocare A- »
cacium, & non potuit, nutu diuino percuſſus »
eſt. Et vero probe ſcimus, a multis, quorum & nos ſententiam probamus, totum hoc de Anaſtaſio plane vanum & commẽticium cen-

ſcri

ſeri: ceterum quod ad hanc cauſam pertinet, cum nemo de doctrina dubitet, parum refert hiſtoriæ veritatem controuerſam eſſe.

Vigilius vir ſanctiſsimus, qui quintam generalem Synodum confirmauit, qui ob non reſtitutum in ſedem Conſtantinopolitanam Anthimum Eutychiana hæreſi infectum, Theodoræ Auguſtæ opera, acerbiſsima paſſus eſt (vt affirmant Aimonius lib. 2. hiſtoriæ c. 32. Paulus diaconus in Iuſtiniano, Marianus Scotus, & Martinus Polonus in Chronicis, Blondus decade 1. lib. 6. Sabell. ennead. 8. lib. 6. Nicephorus lib. 17. cap. 26. Pontificale Romanum, & Platina) quod tamen viuente Siluerio promiſerit Belliſario & Antoninæ illius vxori, nomine Theodoræ, quæ Anthimo fauebat, eiuſdem Anthimi reſtitutionem, dummodo Siluerio pulſo Romanus Pontifex crearetur; etſi poſtea (vt diximus) promiſsis non ſteterit (quod enim male promiſerat, ſancte negauit) Eutychianiſmi a permultis notatur: nam Liberatus diaconus, qui eo tempore vixit, cap. 22. Breuiarij, poſt adſcriptam Vigilij ad Iuſtinianum &
" Theodoram epiſtolam, ſic ait: Sub hac epiſtola
" Vigilius fidem ſuã ſcripſit, in qua duas in Chri-
" ſto damnauit naturas, & reſoluens tomum Pa-
" pæ Leonis ſic dixit: Non duas in Chriſto natu-
" ras confitemur, ſed ex duabus naturis compo-
" ſitum vnum Filium, vnum Chriſtum, vnum Do-
" minum. Et iterum: Qui dicit in Chriſto duas
" formas vnaquaque agẽte cum ſua communio-

ne, &

ne,& non confitetur vnam personam,vnam es- ,,
sentiam; anathema sit. Qui dicit, quia hic qui- ,,
dem miracula faciebat, hoc vero passionibus ,,
succumbebat, & non cõfitetur miracula & pas- ,,
siones vnius eiusdemque, quas sponte sua su- ,,
stinuit carne nobis consubstantiali; anathema ,,
sit. Qui dicit, quod Christus velut homo miseri- ,,
cordia dignatus est, & non dicit ipsum Deum ,,
Verbum & crucifixum esse, vt misereatur nobis; ,,
anathema sit. Et hæc Vigilius scribens hæreti- ,,
cis occulte permansit sedens. Hactenus Libe- ,,
ratus.

Honorium I. virũ doctrina & moribus præstantem, cuius multa, eaq. illustria pietatis monumenta Romæ visuntur, inter Monothelitas damnauit sexta generalis Synodus act. 13. septima act. vltima, octaua act. 7. Romanum Concilium vna cum Hadriano II. Agatho in epistola ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur 4. act. sexti Concilij generalis, Leo II. in epist. ad eumdem Imperatorẽ, quæ ad finem eiusdem Concilij legitur, Tharasius Episcopus Cõstantinopolitanus in epist. quæ extat in septima Synodo act. 3. Epiphanius diaconus in disputatione cum Gregorio hæretico in 6. actione Synodi septimæ, Psellus de septem Synodis, Beda de sex ætatibus in vita Constantini IIII. Põtificale in vita Leonis II. vt antiquiores enumeremus. At Honorius non quidem idcirco dãnatus est, quod vnã tantum in Christo voluntatem doceret, in quo duas absolutas, perfe-

ctas,

ctas, & distinctas naturas, diuinâ & humanam inesse (vt ab eius epistolis aperte constat) Catholice fatebatur; sed quod & in ea hæresi damnanda remissior fuerit, & Cyro & Sergio Monothelitis, ad quos amice scripserat, facilem se præbuerit, & tandem quod nullam fieri mentionem duarum in Christo operationum imprudenti quodam pacis studio persuaserit.

Quæ, cũ a primis ad inferiora, id est, a summis Catholicæ Ecclesiæ Pontificibus ad peculiarium sedium Episcopos, argumentum sumentes, docuerimus; idem etiam ipsorum Episcoporum exemplis ostendere facile possumus. Extat siquidem magni Theologi Gregorij Nazianzeni testimonium, qui in simili causa Nectarium, qui sibi in sede Constantinopolitana successerat, in quadam ad eum epistola seuere increpat, quod hæreticos quosdam permisisset Constantinopoli viuere, & negotia (vt suis verbis vtamur) tractare. & eius quidem epistolæ initium tale est, vt quàm acerbe Nectarij viri alioqui sanctissimi negligentiam tulerit Gre-
,, gorius, facile cognosci possit. Dei (inquit) cu-
,, ra & prouidentia, quæ ante tempora nostra Ec-
,, clesias tueri solebat, vitam hanc vniuersam de-
,, seruisse videtur. &c. Idem Gregorius eamdem ob causam (vt habetur in ea epistola, & ipse in sua vita refert) Imperatorem Theodosium acriter reprehenderat: sunt vero ibidem ea verba consideratione digna, vt hæreticorum fraudes detegantur, qui si leuiter a Principibus tole-

rentur,

rentur, eos statim erroribus suis infectos esse iactant. Qui (inquit) Arij siue Eudoxij hæresim profitentur, haud scio a quo in hanc arrogantiam audaciamq. perpulsi atque incitati, velut libertate quadam arrepta, morbum suum insolenter o entant, ecclesias colligentes, quasi ex mandato & præcepto hoc faciant. Accedat quod de beato Ioanne Chrysostomo viro sũmo & sanctissimo memoriæ proditur: is enim ab Epiphanio acerbissime reprehensus est, quod in prohibendis Origenis libris, quos quorumdam Episcoporum Concilium a Theophilo Patriarcha Alexandrino Magni Cyrilli auunculo coactum damnauerat, remisse ageret. Quæ etiam vna & potissima causa fuit, vt idem Chrysostomus a Synodo Chalcedone celebrata Episcopatu priuaretur, vt Ecclesiastici auctores, quos Cassiodorus in eius vita collegit, testantur. Quamuis enim & iniuste & calumniose fuerit depositus, id tamen ad propositum argumentum valde facit, quod ea tantum negligẽtiæ nota in summo alioqui viro causam dederit illius damnationi: quinimmo adeo graue famæ detrimentum passus sit, vt Hieronymus vir sanctissimus in epistola ad Theophilum, quæ paschales præcedit, ea verba de eo ausus fuerit scribere, quæ profecto sine admiratione legi non possunt. Vnde (inquit) & nos Ioannem, qui dudum Constantinopolitanam rexit Eccleſiã, Deo displacere semper optauimus, & causas perditionis eius, in

,, quas ferebatur improuidus, nequaquam cre-
,, dere voluimus: sed ille (vt cetera flagitia eius ta-
,, ceam) Origenistas in suam recepit familiarita-
,, tem, & ex ijs plurimos in sacerdotium proue-
,, hens, atque hoc scelus beatæ memoriæ homi-
,, nem Dei Epiphanium, qui inter Episcopos cla-
,, rum in orbe sydus effulsit, non paruo mærore
,, contristans, meruit audire: Cecidit, cecidit Ba-
bylon. Hactenus Hieronymus, a quo facile in-
telligere possumus quæ quantaq. damna re-
misio in hæreticis permittendis Ecclesiarum
pastoribus afferre soleat.

Et vero si diuus Augustinus epistola 50. Bo-
nifacium Comitem ac militarem virum seuere
admonet, ne in puniendis extirpandisq. Do-
natistis negligens sit, idq. pluribus exemplis
confirmat: Ezechiæ nempe, qui lucos & idolo-
rum templa, & illa excelsa, quæ contra Dei præ-
cepta fuerant cõstructa, destruxit: Iosiæ etiam,
qui similia fecit: Regis item Niniuitarum, qui
ad placãdum Dominum vniuersam ciuitatem
compulit: Darij similiter, qui Danieli idolum
frangẽdum tradidit: denique Nabucdonosoris,
qui omnes Regno suo subiectos a blaspheman-
do Deo terribili lege prohibuit. Si (inquã) san-
ctus Augustinus sæcularem hominem ad hæc
incitabat; quod studium ac diligentiam in Epi-
scopis, quorum præcipuum munus est religio-
nem tueri, desideraret?

Ius cõmune. Tandem consideranda ac valde perpenden-
da est iuris vtriusque Doctorũ vnanimis in hoc
articulo

articulo ſententia: magiſtratus enim & publicas perſonas ex ſola amiſsione (quid ex fauore, auxilioq. palam hæretico præſtito?) incidere in *fautoriam*, communis & vera eſt opinio: ita vt qui hæreticum cum punire poſsit, tolerauerit, hæreſeon fautor & defenſor haberi debeat, & ipſo excommunicatus ſit, & de hæreſi ſuſpectus, & purgatione indigeat, cap. qui poteſt. 23. q. 3. cap. qui vitijs. 23. q. 8. cap. ita corporis. 11. q. 3. cap. negligere. 2. q. 7. cap. error. 83. diſt. cap. facientes. 86. diſt. Godofred. in l. quicumque. C. de hæret. lib. 1. cap. 4. Simancas Cathol. inſtit. titulo 15. num. 13. Silueſter in ſumma verb. hæreſes 1. num. 10. Aymeric. q. 53. de fautoribus. Adde, ditiones ac regna eorum, qui hæreticos tolerant, nedum qui fouent, ac defendunt, primo occupanti in prædam concedi, §. ſi vero dominus. de ſtat. & conſuet. in auth. col. 10. l. ſi vero. C. de hæret. & vbique plene per Doctores. Recte enim Marianus presbyter, & Orientales Epiſcopi in epiſtola ad Agapetum, quæ habetur in 5. generali Synodo actione 1. ſcripſerunt in hæc verba: Cum hæretici (inquiunt) non „ prohibentur, aut congregari permittuntur, ni- „ hil aliud eſt, quam eorum errores veriores pu- „ tare, quam dogmata noſtra. „

Quocirca, ſi vniuerſales Eccleſiæ Præſides ob omiſſam quodammodo aduerſus hæreticos ſeueritatem, nominis exiſtimationiſq. ſuæ iacturam (vt oſtendimus) paſsi ſunt, hinc aperte conſtabit quid Galliæ Epiſcopi præſtare te- *Conclusio primi mẽbri tertia partis.*

H neantur,

neantur, ne sibi, ecclesijs, genti, nationiq. suæ per similem remissionem, perpetuam apud posteros ignominiam conquirant.

De euitanda Henrici communione.

Secundũ tertiæ partis mẽbrum.

ETSI ea quæ hucusque attulimus, Henricum Nauarræum a viris Catholicis vitandum esse, satis superq. probent: verum vt ijs ipsis apertius proponantur humanarum & diuinarum legum in hoc articulo sanctiones, probabimus omni iure prohibitum esse cum illo communicare, eumve armis, consilio, aut auctoritate defendere, explosa quacumque causa, siue prætextu, vel cuiuscumque superioris permissione.

Sacra scriptura.

Primum, diuinis verbis fugiendũ esse omne hæreticorũconsortium, expresse monemur. Christus enim per Matth. c. 18. Si Ecclesiam (inquit) non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus & publicanus. Ioannes epistola 1. c. 2. Ex nobis (ait) prodierunt, sed non erant ex nobis. & 2. c. 1. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis: qui enim dixerit ei aue, communicat eius operibus malignis. Paulus autem: Quid mihi (inquit) de his qui foris sunt? Idem Apostolus 1. ad Corinth. cap. 5. cum hæreticis nec cibum sumendum esse testatur, & ad Romanos cap. 16. & 2. ad Timoth. cap. 2. & ad Titum cap. 3. & ad Galat. cap. 1. & 2. ad

Thess.

Thess. cap. 3. eamdem diuinam & Euangelicam doctrinam aperte tradit.

Antiquissimorum Conciliorum decretis id ipsum statuitur. Apostolorum enim canon 45. in hæc verba decernit: Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, qui cum hæreticis vel solum comprecatus est, segregetur: si autem illis tamquam clericis aliquid operari permiserit, deponatur. Quo loco notanda est Balsamonis expositio: Comprecari (inquit) est simpliciter communicare, & in hæreticorum preces mitius affectum esse: eos enim tamquam execrabiles habere, nec eis familiariter vti debemus. Eadem Ecclesiastica disciplina tam cum hæreticis, quam cum excommunicatis obseruanda traditur Concilij Nicæni canone 5. Antioch. can. 2. Laodic. can. 33. Eliber. 13. & secundi Arelatensis 8. & in epistola Sardicensis Concilij ad omnes Episcopos, vbi Patres complura diuinæ Scripturæ testimonia, quibus Fidelium communio excommunicatis interdicitur, adducunt. & Tolet. 1. can. 12. & 15. Aquisgran. 75. Antisiodor. 38. & 39. & primi Bracharens. cap. 33. & primi Parisini 7. Cæsaragust. 5. & secundi Turonens. 9. Triburiensi 2. qui Nicæni & Antiocheni & Calixti Pontificis decreti mentionem fecit. & can. 9. Concilij apud Palatium Vernis sub Pipino Rege ad annum Domini 755. celebrati. denique ijs, quæ copiose affert Grat. tota causa 11. quæst. 3.

Concilia.

Summorum Pontificum decreta ad idem confir-

Pontificũ decreta.

confirmandum adducere, ſuperuacaneum profecto (cum infinita prope ſint) videri poſſet, niſi ſemel inſtitutã aſſertionis methodũ ſeruare ſtatuiſſemus. Igitur ne longius diſputationem protrahamus, nonniſi ab antiquiſsimis & his quos ob Apoſtolicorum temporum vicinitatem Apoſtolicos vocamus (apud hos enim doctrinam permanſiſſe ſinceram, vel ipſi hæretici fatentur) vnum aut alterum teſtimonium proferemus. Clemens Romanus Petri ſucceſſor, & ipſius vberibus (vt ait Origenes) ablactatus, ad fugiendam hæreticorum communionem Fideles adhortatur in conſtitut. lib. 6. cap. 13. & 18. & 26. Poſt quem ſequẽti ſæculo Calixtus in epiſtola ad Galliarum Epiſcopos (quam pene integram in ſuis collectaneis habent Gratianus,
„ Polycarp. Anſelmus, Burchardus, & Iuo) Cum
„ excommunicatis (inquit) nullus nec in oratio-
„ ne, aut cibo, aut potu, aut oſculo communicet.
„ nec aue eis dicat: quia quicumque in his vel
„ alijs prohibitis ſcienter excommunicatis com-
„ municauerit, iuxta Apoſtolorum inſtitutio-
„ nem, & ipſe ſimili excommunicationi ſubiace-
„ bit. Calixti Fabianus mirabili electione (vt auctor eſt Euſebius lib. 6. c. 20.) in eadẽ Petri ſede ſucceſſor, epiſtola 1. (cuius pars eſt apud Gratianũ c. ſicut. 11. q. 3.) idẽ ex Apoſtolorum traditione docet. Vt autẽ Pontificibus antiquitate commendatis eos iungat lector, qui fidei zelo ac doctrinæ præſtantia in Eccleſia excelluerũt, legendus erit Gelaſius I. in epiſtola ad Ana-

ſtaſium

ſtaſium Auguſtum,& in epiſtola ad Euphemianum,& ad Epiſcopos Dardaniæ:quibus quidem locis de hoc argumento ex profeſſo ſcripſit, atque ita quidem ſcripſit, vt nihil cauſæ noſtræ conuenientius excogitari potuerit. nos vero opuſculi breuitas ſingula referre non patitur. Nicolaus etiam I. in epiſtola ad Michaelem Imp. more ſuo Apoſtolicam hanc doctrinam grauiſsime & doctiſsime tradit, quam refert Gratianus cap.3.diſt. 72.

Adhæc, veterum ſanctorum Patrum prope innumerabilia teſtimonia adducere, facile nobis eſſet: quare binos ex antiquiſsimis citaſſe ſufficiet. Tertullianus inter Latinos libro aduerſus hæreticos cap.30. de Marcione loquens, & oſtendens Eccleſiæ communione ob hæreſim priuatum fuiſſe: In perpetuum (inquit) diſsidium relegatus eſt. Idem lib. 1. ad vxorem cap. 3. ab omni fraternitatis conſortio excommunicatos arcendos eſſe dicit, afferens in confirmationem Apoſtoli locum 1. ad Corin.3.Denique multis in locis idipſum repetit: ex quibus ea quæ cap. 12. aduerſus hæreticos ſcripſit, referemus. Apud hæreticos (inquit) omnia extranea ſunt, & aduerſaria noſtræ veritati,ad quos vetamur accedere. Quis ſeruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini ſui ſperat? quis miles ab infœderatis,ne dicam ab hoſtibus donatiuum & ſtipendium captat, niſi plane deſertor, & transfuga,& rebellis? Nemo inde inſtrui poteſt,vnde deſtruitur;nemo ab eo illumi-

Patrũ teſtimonia.

,, natur, a quo cõtenebratur? hactenus Tertullianus. Eius vero discipulus (vt ipse aiebat) Cyprianus epist. 40. inter nuper excusas ad finem, & 55. quæ est ad Cornelium Papam, ex pluribus Scripturæ testimonijs perniciosam & damnabilem hæreticorum communionem scribit. Ex Græcis vero Patribus legendus est Nazianzen. in funere patris, vbi Nonnam commendat, quod ne coacta quidem domum idololatrarum conspicere sustinuerit. Tum & Basilius ipse, ad quem eam orationem habuit Nazianzenus, in epistola ad Patrophilum, vbi de eodẽ argumẽto copiose scribit. Atque hæc quidem ex infinitis, quæ in omnibus tam Græcis, quam Latinis Patribus passim occurrunt, pauca delibauimus.

Historia. Iam si Apostolicam eamdem doctrinam ab Ecclesiasticis historijs probare velimus, singulas auctorum paginas describere necessum fuerit. Quare eorum tantum exempla referemus, qui cum alioqui viri fuerint sanctissimi, eo zelo ac seueritate præceptum de non communicando cum ijs, qui a fide deuiare credebantur, obseruarunt, vt etiã in damnata schismata inciderint. Meletius, qui (Euseb. teste lib. 7. c. vlt) iuxta nomen suũ mel Atticum vocabatur propter summam in rebus omnibus notitiam, & perfectissimam cognitionem, ab Ecclesiæ tamen communione (vt auctor est Epiphanius lib. 2. tom. 2. cap. 68.) se separauit, & cum sancto Petro Alexandrino communicare noluit, eo solum

lum nomine, quod ille communionem dedisset ijs qui in persequutione Diocletiani ceciderãt; ac proinde conuenticula sua Martyrum ecclesiam appellabat. Nam etsi sciamus Meletianum schisma aliter, & fortasse verius ab Athanasio, Socrate, Sozomeno, & Nicephoro narrari: tamen (vt alibi diximus) non in re, sed in historiæ veritate diuersa est Patrum sententia. Lucifer Caralitanus vitæ innocentissimæ & fidei integerrimæ Episcopus (vt ex eius operibus, maxime vero his quæ aduersus Constantium constantissime scripsit, colligitur) quiq. ob fidem Nicænam multa & durissima pertulit (vt ex Theodorito, Socrate, & Sozomeno constat) tantus denique vir, vt a Hieronymo in dialogo (etiam post schisma) beatus appelletur, & honorificis encomijs celebretur: is tamẽ cum hæreticorum communionem ferre non posset, Catholicam Ecclesiam deseruit, eam ob caussam, quod cum ijs Episcopis, qui Arimini ceciderant, post eorum resipiscentiam, & dignam pœnitentiam, communicaret; ac proinde omnes vitandos esse sibi proposuit, vt omnium auctorum consentiens sententia est.

Quibus quidem schismaticis, & ob nimium & indiscretum huius disciplinæ zelum ab Ecclesia damnatis, aliorum Episcoporum, Catholicorumq. hominum exempla iungemus, & in primis Athanasij Alexandrini, qui sane per 46. annos varijs modis vexatus est: nam præter continua exilia, sub Constantio sex integris

annis in puteo, in quo Solem aspicere non poterat, latuit: sub Valente quatuor menses in paterno sepulcro inclusus delituit, vt auctores sunt Nazianzenus in eius funere, Socrates, & Sozomenus in historia a Constantino Magno vsque ad Valentem, Hieronymus in scriptoribus Ecclesiasticis, ipseq. in apolog. 1. & 2. & in epist. ad solit. vitam agentes. quæ omnia (si quis recte historiarum seriem consideret) nullā aliam ob causam passum fuisse comperiet, quam quod in Arianorum communione toleranda inexorabilis fuerit.

Nec vero omittemus quid ex Apollinare narret Eusebius Ecclesiasticæ historiæ cap. 15. „ lib. 3. Cum Ecclesiastici (inquit) & Catholici „ viri persecutionis tempore ad testimonium fi„ dei, quæ est ex veritate, vna cū quibusdam Ca„ taphrygum hæresi cæcatis essent forte vocati, ab „ illis plane dissenserunt plurimum, & ne cum „ vesano ac dementi Montani & mulierum sibi „ in societatem adscitarum spiritu vlla ex parte „ consentire viderentur, cum illis communicare „ ad extremū vsque spiritum prorsus recusarunt.

Idem Eusebius lib. 6. cap. 3. de Origene scriptum reliquit, numquam eum adduci potuisse, vt vna cum Paulo hæretico sacris precibus interesset: quippe qui ab ineunte ætate (ait Eusebius) & Ecclesiæ canonem obnixe obseruasset, & errorum doctrinas fuisset semper detestatus. Et vero hunc Ecclesiasticum canonem, vtpote in Ecclesia antiquissimum, Dio-

nysius

nyſius Alexandrinus (vt idem Euſebius auctor eſt lib.7.cap. 6.)ab Heraclæa Epiſcopo accepiſſe ſe ſcribit, nempe vt eos (cum eſſent accuſati, qui conſuetudine cuiuſpiam eorum, qui alienam & diuerſam a fide doctrinam tuebantur, multum vſi fuiſſent) eccleſia eiiceret. Iuxta quem eumdem canonem Marcellus Ancyræ Epiſcopus adhuc Catholicus, neque Synodo Tyrenſi, neque Hieroſolymitanæ, neque conſecrationi magni templi à Conſtantino ædificati intereſſe voluit, non alia de cauſa, quam vt Arianorum Epiſcoporum communionem vitaret, vt Sozomenus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 2.cap. 31. teſtatur.

Eodem pertinet, quod D. Athanaſius de Alexandrinis narrat: qui quidem optabant, ægrotare potius, & periclitari ſine viſitatione, quam Arianorum manus ſuis capitibus imponi ſuſtinere. Quorum plebei quidam (vt idẽ in epiſtola ad ſolit. vitam agentes ſcripſit) cũ ab Arianis verberibus compellerentur, vt eorum communionem ſequerentur: Non communicamus ›› (reſpondebant) cum hæreticis: verberate, vt lubet: Deus ob iſta vos iudicabit. ››

Tandem referamus mirandum illud, & memoriæ perpetuo commendandum exemplum, nec diſsimile ei quod proditur de Ioãne Euangeliſta, qui in balneum, vbi ſe lauerat Cherintus, intrare recuſauit. Auctor itaque libri qui Pratum ſpirituale dicitur, & ſub Sophronij nomine, quod ad eũ dicatus ſit, fertur, cap. 177.

sic habet: Dicebat (inquit) Abbas Ioannes Cilix: Commorãtibus nobis in Nono Alexandriæ, venit ad nos Aegyptius monachus, narrauitq. nobis dicẽs: Ad monasteriũ cellularũ frater ex lõginqua regione peruenit, volens ibi habitare, prostratusq. presbyterum orabat, vt in Euagrij cellula moraretur: presbyter autẽ dicebat non posse eum illic habitare. recedensq. presbyter ait fratri: Fili, dæmon acerrimus illic habitat: qui enim seduxit Euagrium, & a vera fide remouit, immisitq. illi scelerata dogmata, ille non permittit aliquem ibi morari. Frater autẽ persistebat, dicẽs: Profecto si hic maneo, in illa moraturus sum. Tunc presbyter coactus dixit ei: Iudicio tuo vade, & eam accipe. Sedit igitur frater in cellula vna hebdomada, veniensq. Dominico die, perrexit ad sanctam ecclesiam: videns autem illum presbyter, consolatus est, solicitus enim pro illo erat. Veniente autem alio die Dominico, non venit ad ecclesiam: cumq. illum non videret presbyter, misit duos fratres, vt viderent cur non venisset ad ecclesiam. qui venientes ad cellulam, inuenerunt fratrem, iniecto fune, seipsum suffocasse. An non horrendo hoc historiæ monumento, quorum malorum causa sit hæreticorum communio, aperte cognoscitur? Eius vero libri auctoritas (vt hoc obiter dicamus) maxima est: nam præter antiquitatum commendationem, honorifice quidem citatur a Patribus sextæ generalis Synodi.

Ceterum, quoniam quæ attulimus nimis antiqua

tiqua alicui videri forsan poterunt, ac proinde in vsu & praxi Ecclesiæ non esse, nec debere ad præsentem temporum cōdicionem & rerum statum trahi; adducemus commune ius, quo probabimus, nulla ratione, nullo prætextu, nullo priuilegio securos esse eos, qui cum Henrico sunt, cum verbis diuinis prohibita illis sit eius communio. Nam cum notorius & manifestus hæreticus sit, ac proinde ipso iure & facto excommunicatus, c. sicut.cap. ad abolendam.cap. excōmunicatus.de hæret. cap. vt officium.eod. tit. in 6. quininmo & declaratus etiam, vt ex bullis Sixti & Gregorij constat; sequitur vt vitari debeat, etiam nulla alia causa vrgente; nec valere priuilegium, quo eius consortium permitteretur. Hæc enim opinio vera est, vt docte probant Panormitanus Abbas, Cardinalis Ostiens. Ioannes Andreas, Fely. & alij in cap. nulli. de senten. excommun. qui copiose in hoc argumento scribunt, & Cosmas in prag. sanct. titulo de excommun. non euit. vers. nisi. & alij, quos allegat & sequitur Henric. Boich. num. 3. qui auctores aperte affirmant non valere indultum, nō solum quo generaliter permitteretur excommunicatos non esse vitandos, sed nec speciale alicui sine vrgenti & euidenti causa concessum: quæ omnia in Henrico cessant, vt res ipsa loquitur, & infra ostendemus.

Ius commune.

Verum quia nonnulli præceptum istud Apostolicum nimis arctant, & ad communicatio-

nem

nem tantum in diuinis extendunt, vt docuerunt Ioan. Maior in 4.dist. 18. quæst. 4. Driedo in lib. de libert. Christ. quos citat & probat Cobb. (falso adducens pro hac opinione D. Thomam) in cap. alma mater. §. 1. num. 1. de sent. excom. admittemus & nos etiam hanc distinctionem: qua tamen non obstante, considerandum est, eos qui cum Henrico sunt, non solum cum illo in rebus humanis communicare, sed armis, pecunia, consilio, auctoritate eum iuuare. id vero quis Christianus, ac nō plane atheos, humano, naturali, & diuino iure prohibitum esse neget? Communem enim Ecclesiæ hostem in perniciem fidei tueri, non minus, immo multo magis vetitum esse constat, quam cum eo in diuinis communicare. Proinde sequitur per nullam permissionem aut concessionem derogari posse huic iuri, quod supra omnem potestatem est, per ea quæ notantur a Doctoribus in cap. cū inferior. de maior. & obed. D. Thom. quodlib. 4. art. 13. & 9. art. 15. & 12. quæst. 86. art. 4. ad 3. Maior in 4. d. 24. q. 12. Angelus & Siluest. verb. Papa. Card. Turrecr. lib. 2. de Ecclesia cap. 107. Paris. cons. 68. num. 199. not. 4. Cobb. in 4. par. 2. cap. 6. nu. 4.

A quo quidem iure descendit, vt nec ipse summus Ecclesiæ Rector cum hæretico in diuinis communicare posit, vt sensit Panorm. in d. cap. nulli. & in cap. cum desideres. de sententia excommun. & est communis opinio tradita a Siluest. verb. excōmunicatio 5. vers. primum dubium.

dubium. Quinimmo nec in humanis sine graui peccato: nã quãuis id respiciat ius positiuum, cui Princeps subiectus non est, l. Princeps. de legib. c. proposuit. de conceff. præben. nihilominus cum in publicam vtilitatẽ statutum sit, & ad Ecclesiæ gloriam & augmentum, quod quærere in primis debet Romanus Pontifex; aperte sequitur vt ipse legi a se latæ subiectus etiã intelligatur, per tex. in l. digna vox. C. de legib. cap. iustum. d. 9. cap. ad omnes. de const. Quocirca in Dei iudicio non erit solutus ab hac lege, vt docuit S. Tho. 1. 2. q. 96. art. 5. & ibi optime & plene Caiet. Decius, & communis in c. 1. de constit. copiose Gomez in reg. de infirm. resign. q. 1. col. 2.

Confirmatur autem hac eadem sententia quia Ecclesiastica potestas (iuxta Paulum Apostolum) ad ædificationem data est, non vero ad destructionem: idq. aperte testatur Gregorius Pontifex lib. 12. epist. 31. cuius partem affert Gratianus 25. q. 2. Si ea (inquit) destruerem quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed euersor esse iuste comprobarer. Quapropter cum grauissimum scelus sit hæreticum in perniciem Catholicæ religionis iuuare ac fouere; aperte sequitur, non posse per humanam, immo nec per diuinam potentiam mutari, & ex illicito licitum fieri: id enim fatetur Papa Zosimus in cap. contra. 25. quæst. 1. vbi asserit Romanum Pontificem nihil decernere posse contra Patrum statuta: id namque intel-

ligitur,

ligitur, quatenus ea statuta ius naturale vel diuinum continent, vt notauit ibi glos. communiter recepta, & docuit S.Tho.1.2.q.100.art.8.

Vlterius comprobatur eadem sentẽtia: quia cum excommunicatio Ecclesiasticæ disciplinæ neruus sit (vt Patres Tridentini sanctissime decreuerunt sess.25. cap. 3.) apertum est non posse eius vim in tam graui causa infringi & eneruari: hoc enim esset Ecclesiæ thesauros dissipare, & armis eam spoliare: his namque spiritualibus telis Ecclesiam sanctissimi superiores Pontifices defenderunt. Felix nempe II. Constantium Imperatorem excommunicauit, Innocentius I. Arcadium, Anastasius I. Anastasium, Gelasius I. eumdẽ, Hadrianus I. Desiderium Longobardum Regem, Gregorius III. Leonem III. Gregorius VII. Henricũ, Alexander III. Federicum Ahenobarbum, atque alij. Excõmunicationis itaque seuera animaduersio paruipẽderetur, & Ecclesia vires amitteret, in pessimumq. exemplum cederet, atque in maximum totius Ecclesiæ præiudicium, perturbariq. siue (vt Doctores loquuntur) discolorari vniuersalis Ecclesiasticus ordo videretur. Id autem vel ei qui summa potestate in Ecclesia fungitur, non licere, tradunt Doctores in cap. etsi illa.1. q. 7. & in cap. memor. 24. quæst. 1. gloss. in c. litteras. ver. dispensare. de rest. spol. & in cap. per principalem.9. quæst. 3. & in cap. qui ad perpetuam. & in cap. sunt quidam. 25. quæst. 1. Card. in cap. perpendimus. colum.7.

de sent.

de sent. excom. & in cap. licet. de elect. & cons. 141. Archid. in cap. super eo. de hæret.

Adhæc, euidens peruersionis periculum maxime considerare oportet. Diuinum enim ius negligendam esse eo casu superioris obedientiam voluit, vt traditur in cap. si quando. de rescrip. & in l. vindicari. C. de pœn. Quinimmo nō modo hoc obseruandum est, cum ipse superior iniustum quidpiam aut iniquum præcipit, sed etiam cum iustum æquumque, dūmodo huius periculi causa subsit, præscribit, cap. cum teneamur. de præb. vbi (iuxta expositionem Card.) prædictam tantummodo causam sufficere ait Romanus Pontifex, vt eius rescriptis non obtemperetur, glos. in cap. 2. dist. 3. & ad eam Abbas in cap. 1. col. 2. de elect. tex. optimus in cap. nisi cum pridem. §. pro graui. de renunciat. & in cap. quæsitum. & ibi idem Abb. de rer. permut. Huius autem sententiæ ea ratio est, quam superius attigimus, superiorem videlicet non habere potestatem aliquid præcipiendi cum spirituali detrimento. videndus est Bal. in l. rescripta. C. de precib. Imp. offer. col. 2. Dec. in d. cap. si quando. de rescript. col. 2. Soto in relect. de secret. 3. memb. q. 2. conclus. 1. & 2. Nauar. in cap. inter verba. 11. q. 2. corol. 53.

Nam & amplius considerare oportet, licitum esse obedientiam rescriptorum Pontificum differre, quoties illa manifestam iniuriam & publicum dispendium contineant, d. cap. quidam. 25. q. 1. cap. primum. 40. dist. cap. inquisitum.

de sent.

de ſent.excom.& ibi communis Doctorum ſententia, Abb.ſuper Conc.Baſil. nu.14.q.1. nu. 2. ver. *tertius caſus incipit.* Felyn. in d.cap.ſi quando.de reſcript.Card.conſ.150.col.vltima. Caiet. in tract.de auct. Papæ cap.27.verſ.ad ſecundam rationem. Turrecrem. lib.2.de Eccleſ.cap. 106. Card.Alexandr. in ſumma 15.diſt.num. 41. & Card.Iacobat.in tit.de Concil.lib.8.art.3.& faciunt quæ ſcripſit S. Thom. & ibi Caiet. 2. 2.q. 69.art. 4. Denique memorabile illud quod Innocentius III. in cap. ne Dei timorem. in gloſſ. 2.de ſimon. reſcripſit, huc pertinet: poſſe videlicet exequutionem mādati Pontificij, ab eo qui monaſticen profeſſus eſt, differri, quoties regulæ ab eo per ſacramentum & votum obſeruandæ oppugnet. Hæc enim iuris, Pontificum, & auctorū ſententia pro ratione habet Romanum Pontificem falſa ſuggeſtione & informatione perſuaſum ſimilia reſcripta concedere. textus & ibi communis in cap. 1. de reſcript. in 6. l. nullus .& ibi poſt antiquos Alciat. C. de ſum. Trin.& fid.Cathol.

Tandem ad euitandam Nauarræi communionem a Catholicis Principibus & Epiſcopis, qui cum eo perſeuerant, maxime faciunt quæ Gelaſius in hoc ipſo argumento in epiſtola ad Fauſtū magiſtrū ſcripſit, cuius fragmentum eſt apud Gratianum 24. q. 2. cap. legatur. Verum cum mutila ibi habeatur ſententia, nos ex integro eam repetemus, vt ad uiuum rerum præ-
„ ſentium imago deſcribatur. Deceſſores (inquit)

mei

mei ſacerdotes, qui præuaricatoribus ſe com- ,,
municaſſe propria voce confeſsi ſunt, a com- ,,
munione Apoſtolica ſubmouerunt. Si Anaſta- ,,
ſio iſti placet ſe miſcere damnatis,nobis nõ po- ,,
teſt imputari:ſi ab eis velit abſcedere, tãto ma- ,,
gis a nobis non poteſt eſſe damnatus,ſed potius ,,
ad gratiam ſinceræ communionis admiſſus.Le- ,,
gatur,ex quo eſt religio Chriſtiana,vel certe de- ,,
tur exemplũ in Eccleſia Dei a quibuslibet Pon- ,,
tificibus,ab ipſis Apoſtolis,ab ipſo denique Sal- ,,
uatore veniam, niſi corrigentibus ſe, fuiſſe con- ,,
ceſſam. Auditum autem ſub iſto cælo nec legi- ,,
tur omnino, nec dicitur, quod eorum voce de- ,,
promitur: Date nobis veniam, dum tamen nos ,,
in errore duremus. Id quoque pariter oſten- ,,
dant, qui nobis canones nituntur opponere, ,,
quibus hoc canonibus, quibus regulis, qua le- ,,
ctione,quove documento, ſiue a maioribus no- ,,
ſtris, ſiue ab ipſis Apoſtolis (quos potiores me- ,,
rito fuiſſe non dubium eſt) ſeu ab ipſo Domino ,,
Saluatore, qui iudicaturus creditur viuos & ,,
mortuos, ſiue factum eſt vmquam, vel facien- ,,
dum eſſe mãdatur. Mortuos ſuſcitaſſe legimus, ,,
Chriſtum in errore mortuos abſoluiſſe non le- ,,
gimus. & qui certe hoc faciendi ſolus habuit ,,
poteſtatem, beato Petro principaliter mandat ,,
Apoſtolo: Quæ ligaueris ſuper terram, ligata ,,
erunt & in cælis: & quæ ſolueris ſuper terram, ,,
erunt ſoluta & in cælis. Super terram, inquit: ,,
nam in hac legatione defunctum nuſquam di- ,,
xit abſolui. Quod ergo numquam factum ,,

,, eſt, vel mente concipere formidamus, ſcientes
,, in diuino iudicio non poſſe penitus excuſari.
Hactenus Gelaſius, qui in epiſtola ad Anaſtaſium (quæ quidem ad hanc vnā Henrici cauſam ſcripta eſſe videtur) quædā habet, quæ a nobis nullo modo omitti poſſunt, aut debent. Ille itaque cum ab Anaſtaſio non modo vrgeretur, vt in Eccleſia hæreticorum communionem permitteret, ad euitanda bella, quæ, ſi hoc non faceret, imminebant, ſed & ab eodem, quod publicæ pacis hoſtis eſſet, accuſaretur: in hæc ſan-
,, ctiſsima & doctiſsima verba reſpondit: Ergo
,, (inquit) glorioſe Imperator, nolo ego Eccleſia-
,, rum pacem, quam, etiam ſi cum mei ſanguinis
,, impendio prouenire poſſet, amplecterer? Sed
,, precor te, cuiuſmodi debeat eſſe pax ipſa, non
,, vtcumque, ſed veraciter, Chriſtiana mente li-
,, bremus. Quomodo enim poteſt eſſe pax vera,
,, cui caritas intemerata defuerit? Caritas au-
,, tem qualiter eſſe debeat, nobis euidenter Apo-
,, ſtolus prædicat, qui ait: Caritas de corde puro,
,, & conſcientia bona, & fide nō ficta. Quomodo,
,, quæſo te, de corde erit puro, qui contagio infi-
,, ciatur externo? quomodo de conſcientia bona, ſi
,, prauis fuerit maliſq. commixta? quemadmo-
,, dum fide non ficta, ſi maneat ſociata cum per-
,, fidis? Quæ cum a nobis ſæpe iam dicta ſint, ne-
,, ceſſe eſt tamen inceſſantem iterari, & tamdiu
,, non tacere, quamdiu nomen pacis obtenditur:
,, vt noſtrum non ſit (vt inuidioſe iactatur) facere
,, pacem, ſed talem velle ducamus, qualis & ſola

pax

pax esse, & præter quam pax nulla esse mon- ,,
stratur. Idem alibi de eadem re agens, verba illa Prouerb. 27. allegat: Meliora sunt vulnera ,,
amici, quam oscula inimici. Et hæc Gela- ,,
sius Fausto & Anastasio olim scripsit; illa ,,
vero Dominus ad nostram quidem institutionem, & ad hunc in Gallia rerum & temporum statum seruasse videtur, vt aperte constet nullo pacis aut quietis prætextu Henrici communionem esse permittendam. Cum Gelasio enim mirum in modum conueniunt Gregorij Nazianzeni verba in apologet. 1. Melius (inquit) ,,
est laudabile bellum pace a Deo disiungente: ,,
ob eamq. causam lenem & mansuetum homi- ,,
nem Spiritus ad pugnam armat, vt qui bellum ,,
gerere queat. Nam & quod fingi solet, nempe ,,
propter istam Catholicorum Principũ & Episcoporum conniuentiam contineri in officio Galliam, quæ aliter ab obedientia Romanæ Ecclesiæ deficeret; idem Gelasius in epistola ad Faustum satis diluit, cum ait: Si autem quod ,,
nunc prætendunt (loquens de Græcis) a Ro- ,,
mana Ecclesia se sunt diuisuri, id iam dudum ,,
fecisse monstrantur. ,,

Et vero (vt multa omittamus) grauiter quidem diuinam bonitatem & prouidentiam offendunt, qui humano consilio causam fidei tractandam esse, ita vt id solum præ oculis habeatur, existimant. Scit enim Dominus prudentiam prudentũ perdere, pusillis vero & humilibus copiose munera sua largiri, illosq. præter omnem *Historiæ.*

ſpem a malis imminentibus eripere. Et quamuis copioſus hic ſeſe aperiebat campus; vno tamen atque altero exemplo contenti, præſentiſsimam opem Dei vere in eum ſperantibus numquam defuiſſe docebimus, vt nemo temerarie credat diuina conſilia & vias Domini eſſe ſicut vias & conſilia hominum.

Narrant igitur Socrates lib. 1. cap. 25. Theodorit. lib. 1. cap. 14. Sozom. lib. 2. cap. 28. Arium ſimulaſſe ſe orthodoxe de fide ſentire, ac proinde opera Euſebij Nicomedienſis & Conſtantini egiſſe, vt ad communionē & eccleſiam ab Alexandro Conſtantinopolitano reciperetur: qui cū id cōſtanter negaſſet, tandē eo inuito præſtitutū fuit tempus, ad quod Arius eccleſiā intraſſet. Tunc Alexander pridie ante eā ipſam diem ad baſim altaris procidens, totam noctē pronus humi iacuit, Deum humiliter orans, ne impius hæreticus eccleſiam communione ſua pollueret. Igitur cum adueniente luce Arius ad eccleſiam procederet, derepente inſtante neceſsitate aluum laxaturus diſceſsit; & cum longo tempore expectaretur, nec exiret, tandem inuentus eſt viſcera vna cum excrementis effudiſſe: digna profecto pœna impio hæretico, digna turpis mors peſtifero homine, dignum fœtidiſsimis viſceribus ſepulcrum. Sic itaque aperte monſtrauit Deus non eſſe de ſua clementia deſperandum, nec eſſe hæreticorum communionem propter imminentia quantumuis grauiſsima pericula admittendam.

Simile est quod Isidorus Hispalensis & Honorius Augustodunensis de Gregorio Eliberitano & Osio Cordubensi litteris mandarunt. Cum enim Osius in Ariminensi Concilio Arianis subscripsisset, & iã peruersus in Hispaniam rediret, Gregorius Eliberitanus sanctissimus & doctissimus ea tempestate vir ab illius cõmunione se separauit. Quod cum Osius ægre ferret, tandem iussu Clementini, qui Imperatorio nomine Hispaniam regebat, Cordubam accersitus, iubetur vt cum eo communicet. Ille vero cum resisteret, & Osius eum Episcopatu & sacerdotio priuare statuisset, vt sic sæcularis iudex in eum animaduertere secure posset, sederetq. iam pro tribunali sententiam laturus: tunc Gregorius ad Deum se conuertit, & ab eo petijt, ne ea iniuria suo nomini & Episcopali dignitati irrogaretur. Statim autem concidit Osius, & os vertit, distorquens pariter & ceruicem, ac in terram eliditur, & illico expirauit. Non igitur obliuiscitur Deus suorum, cum ipsi hæreticorum communionem vitant, & ab ea se separant.

Quare cum diuina Scriptura, sacra Concilia, Pontificum Romanorum decreta, Patrum scripta, Historia Ecclesiastica, Ius commune, ritus & obseruatio & series doctrinæ in Ecclesia Catholica non patiantur vt Henricus (etiam ad Ecclesiam rediens) Galliam moderari posit: obstent præterea hæc ipsa omnia, quo minus cum eo Orthodoxorum quisquam cõmunicet: *Conclusio.*

merito

merito ſperare poſſumus, Catholicos Principes & præcipue Eccleſiarum paſtores auitæ religioni, propriæ ſaluti, Regni incolumitati, ouium denique ſibi creditarum vtilitati conſulturos.

Memores in primis antiquiſsimorum Eccleſiæ canonum, qui in negligentes deſidesq. Epiſcopos & officium ſuum deſerentes, ſeuere animaduertunt. „ Si Epiſcopus vel presbyter (ſtatuerunt Apoſtoli) negligat clerum vel populum ſuum, nec eos doceat religionem; excommunicetur. ſi perſeuerauerit, deponatur. Et Leo Magnus epiſt. 3. & 84. „ Inferiorum (inquit) ordinum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt, quam ad negligentes rectores, qui multam ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere medicinam. quæ verba referuntur can. 9. Trosleani Cōcilij, & in capitular. lib. 7. c. 57. & apud Grat. diſt. 86. c. 1. Sed & Gregorius I. lib 11. epiſt. 29. & lib. 11. ep. 33. grauiter increpat Paſcaſium, & quoſdam alios Campaniæ Epiſcopos, quod negligēter in Epiſcopali munere exercendo ſe gererent. Meleuitani autem Concilij canon 24. qui repetitur in Concilio Africano ſub Bonifacio can. 88. & eſt in Gratiano cap. placuit. 16. q. 3. ita de iſtis decernit: „ Placuit, vt quicumque negligunt loca ad ſuam cathedram pertinentia in Catholicam vnitatem lucrari, conueniantur a diligentibus vicinis Epiſcopis, vt id agere non morentur. Quod ſi intra ſex menſes a die conuentionis, non hoc fecerint; qui potuerit ea lucra-

ri, ad

ri, ad ipsum pertineant. Denique Parisina Sy- ,,
nodus sub Ludouico & Lothario coacta lib. 1.
cap. 21. & Aquisgr. sub Ludouico par. 1. c. 11.
quæ de Episcopis quibusdam negligentibus
agunt, cõsulendæ sunt; vt a patrijs decretis eius-
dem prouinciæ Episcopi doceantur, quam dili-
gentiam adhibere eos oporteat in procuranda
hæreticorum extirpatione, nedum in non fo-
uendis nutriendisq. eorum prauis consilijs.

Aliter enim si fiat, iure optimo timere pos-
sunt, ne Ecclesijs suis eueniat quod martyr
Cyprianus in epistola ad Stephanum Papam
docens lapsos non esse ad pristinum ordinem,
in quo fuerant, recipiendos, scripsit. Illis armis ,,
(inquit) postea aduersus nos vtẽtur. Et sanctis- ,,
simus ille Naziãzenus Episcopus, quis modus
habendus sit cum hæreticis, exemplo suo Ec-
clesiarum pastores docuit. Epistola enim 70. ad ,,
Olympium: Canicies (inquit) nonnihil eru- ,,
ditur: nec senectus (vt video) talis omnino est, ,,
quæ prudentiæ opinionem fidemq. mereatur. ,,
Ego cum omnium maxime Apollinaristarum ,,
impietatem perspectã haberem, nec ferendam ,,
eorum amentiam cernerem, existimabam fo- ,,
re, vt lenitate mea mitiores efficerentur: verum ,,
per imprudentiam etiam sceleratiores illos (vt ,,
apparet) reddidi, & intempestiua hac philoso- ,,
phia Ecclesiam detrimento affeci. Neque enim ,,
peruersi homines lenitate atque humanitate ,,
flectuntur. Tandẽ (vt disputationẽ nostram ab-
soluamus) cõsiderare oportebit, immerito qui-

dem

dem & contra omne fas & æquum Henricum nunc ad Ecclesiā, Episcoporum videlicet opem & fauorem confugere, & velle se eorum auctoritate defendere, cum ius nostrum sacrilegos & sacrorum violatores asyli priuilegio gaudere non patiatur, cap. fin. de immun. eccles. cap. conquesti. de sent. excom. Henricus autem quam fuerit de ecclesijs, viris sacris, Episcopisq. benemeritus, omnes scimus & dolemus.

Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Amen.

S.^MI D. N. SIXTI PAPÆ QVINTI,

Declaratio contra Henricum Borbonium aſſertum Regem Nauarræ, & Henricũ item Borbonium, prætenſum Principem Condenſem Hæreticos, eorumq. poſteros & ſucceßores. Ac liberatio Subditorũ, ab omni fidelitatis, & obſequij debito.

SIXTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

AB Immenſa æterni Regis potentia, Beato Petro, eiuſq; ſucceſſoribus, tradita auctoritas, omnes terrenorum Regum & Principum ſupereminet poteſtates, ſtabilique in Petra conſiſtens, nec vllis aduerſantibus, vel etiam ſecundis flatibus, à recto deflexa, inconcuſſa profert in omnes iudicia; Et ne diuinæ, maximè leges violentur, ſumma ope prouidet, & ſi quos ordinationi Dei reſiſtentes inuenit, ſeueriore hos vindicta vlciſcitur, & quã uis potẽtiores de ſolio deijciens, veluti ſu-

perbientis luciferi miniſtros, ad infima verè, deturbatos proſternit. Quare pro incũbendi nobis Eccleſiarum omnium populorum ac gentium ſolicitudine, vt animarum ſaluti in primis proſpiciatur, & non ſolum famulatus noſtri, ſed etiã omnia futura tempora impijs, ac deteſtandis mõſtris purgata, cunctis Chriſtiani Orbis partibus, pacẽ afferant & quietem; & præſertim ampliſſimo Gallię Regno, in quo Chriſtiana Religio omni tempore, ita viguit; tantaq; Regnum illius pietatis, fides, ac deuotio, tot in Romanam Eccleſiam merita extiterunt, vt ij iure optimo glorioſiſsimum Chriſtianiſsimi cognomen ab ea ſint cõſecuti; ac etiam ne nos, neglecta officij noſtri vera vnquam apud Deum argui poſsimus, Arma militiæ noſtræ; quæ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo in deſtructionem munitionũ, nunc contra duos potiſsimum iræ filios, Henricũ Borbonium quondam Nauarræ Regem, & Henricum item Borbonium olim Principẽ Condenſem, exercere compellimur. Ille enim quondam Rex, Caluini errores atq; hæreſes etiam ab ineũte adoleſcentia ſecutus eſt, pertinaxq; earum patrocinium, tam diu exercuit, quod claræ mem. Caroli No-

ni Francorũ Regis; & Charissimæ in Christo filiæ Catherinæ Reginę, eius.matris piẽtissimæ; atq; etiã Dilecti filij nostri Caroli tit. S. Chrisogoni presbyteri Card.Borbonij patrui sui & Ludouici Mompenseri Ducis; pijs frequentibusq; hortationibus,apertisq; eximiæ virtutis, ac doctrinæ Theologorum demonstrationibus ad fidem Catholicam & Apostolicam Romanam (vt existimabatur) conuersus, hæreticas omnes contra fidem Catholicam, opiniones,Parisij publicè in Ecclesia damnauit, anathematizauit,& abiurauit, fidemq; ipsam Catholicam expresse professus est: datisque subinde suis ad fel. recor. Gregorium Papam XIII. prędecessorẽ nostrum litteris, quibus eundem prædecessorem supremum Catholicæ Ecclesiæ caput, iam agnoscens, ipsum supplex deprecabatur, vt pœnitentiæ,conuersionis, & obedientiæ suæ confessionem, acceptam habere, & anteactorum veniam, remissionisq. gratiam, concedere dignaretur, firmiter promittens se fidem ipsam Catholicam perpetuò integrè, ac inuiolatè seruaturum:Quibus litteris,vtpotè Regijs,idẽ prædecessor credens, & paternæ charitatis visceribus commotus, ac etiam grauissimo

Regis Reginæ matris Cardinalis, & Ducis prædictorum, de huiusmodi conuersione te stimonio adductus, illum ipsum, præteritos errores, confitentem, veniamq. humiliter petentem, à crimine hæresis, & à censuris Ecclesiasticis propterea ĩcursis, absoluit, & in gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ, cõmu nionemq. fidelium admisit, omni inhabilitate, ab eo sublata. Quinetiam, vt arctiori & firmiori vinculo ligaretur, cum eo, & Margarita dicti Caroli Regis sorore, quæ ex illa Christianissima stirpe nata, atq. alita facile maritum in officio, & Religionis Catholicæ obseruantia, continere posse sperabatur, dispensauit; vt non obstantibus impedimentis tertij, & aliorum forsan inter eos graduum consanguinitatis, & cognationis spiritualis, matrimonium inter se contrahere possent, prout in facie Ecclesiæ cõtraxerunt, excursisq. deinde aliquot mensibus, Ille, Ioannem Duratij Dominum, Oratorem suum, qui nomine suo de pœnitẽtia, conuersione, fide, & constantia sua in Sedis Apostolicæ conspectu sponderet, ad dictum prædecessorem delegauit, habitoq. pro eo publico, solemniq. in aula Regia, de more Consistorio, in consessu S.R.E. Cardina-

dinalium, Prælatorumq., & aliorum fre-
quentiſsimo concurſu, profeſsis omnibus
ſupradictis, idem Henricus, tamquam Rex
recens ad fidem conuerſus, & vt Catholi-
cus admiſſus eſt, tota Vrbe exultãte, & in-
gentes Deo de conquiſita & inuenta oue,
gratias agente. Sed ille, vt erat vario & in-
conſtanti animo, haud multo poſt à Catho
lica fide, & debita erga Sedem Apoſtolicã
obedientia, cæteriſq; à ſe expreſsè & cum
iuramento profeſſis, deficiẽs, atq; in eo, quo
prius erat cœno reuolutus, à Rege Chri-
ſtianiſsimo clam ſe ſubducens, collectoq; in
loco ab ipſius Regis aula ſatis remoto, quã
potuit copioſo hæreticorum ſceleratorum,
aliorumq; id genus impiorum hominũ nu-
mero, ibi, ea omnia, quæ de Caluiniſmi
deteſtatione, hæreſum omnium abiuratio-
ne, ac Romanæ Fidei Catholicæ & Apo-
ſtolicæ profeſsione antea fecerat, palam re-
uocauit, teſtificans ſe Caluiniſmum ipſum
profiteri, prout profeſſus eſt; eiq; hæreſi per
tinaci & obdurato animo ſemper adhæſit,
& in ea hucuſque viuens, ſæpius hæreticos,
perduelles, ac ſeditioſos, (quorum caput
Dux, & propugnator in Gallia, & etiã exte-
rorum, Hæreticorum acerrimus fautor ſem

 per

per fuit) ad arma, contra prædictum Carolum, ac etiam Chariſsimum in Chriſto filium noſtrum Henricum Francorum Regem Chriſtianiſsimum, tametſi eum, vt Regem, ac Dominũ ſuum colere, vt ſororium amare & ſequi debebat, omni ſcilicet officij ac pietatis immemor, aduerſus ipſum, & reliquos Catholicos omnes cõcitauit in feſtiſsimos exercitus, accitis etiam externarum nationum hæreticis, contraxit, à quibus omnia paſsim loca cruentis piorũ hominum cædibus fœdata, ſacra Dei Templa temerata, & direpta, Sacerdotes, & viri Religioſi cruciatibus trucidati ſunt, Oppida præterea, & munitiones Catholicorum, partim inſidijs, partim vi & armis occupauit, & in eis Catholicæ Eccleſiæ Ritus, prohibuit, ac ſubſtulit, Miniſtros, ac Concionatores hæreticos conſtituit, ciues, & incolas ad eãdem impietatem capeſſendam, minis, verberibuſq; coegit. Sed ne hæc quidem ſatis ſibi eſſe exſtimans, inter alios, intimum quendam ſuum nefarijs artibus ſuis inſtructum, extra Galliæ fines, ad diuerſa loca miſit, per quem, cum primarijs hæreticis, impia conſilia ſua communicauit, eorumque vires & arma contra Religionem Catholi-

cam,

cam,& Romani Pontificis poteſtatem prouocauit, Conciliabula quoque hæreticorũ, in diuerſis Prouincijs habenda curauit, quorum nonnullis (dum iniquiſsima illa fœdera, contra Fidem Catholicam, ac præſertim contra Eccleſias, Clerum, & vniuerſos Catholicos Regni Franciæ tractabantur) ille non ſolum interfuit, ſed etiam præfuit.

Henricus vero Borbonius Princeps Cõdenſis, vtroque parente hæretico genitus, cum illi exitialia Caluini dogmata, eorumque adminiſtros pertinaciter in omni vita fouiſſent, eorundem patris ac matris ſecutus hæreſes, conſimilia facinora, etiam adoleſcẽs perpetrauit. Deinde eadem illa, qua alter Henricus, opera, viam veritatis, pœnitentia, & humilitate cordis, quantum conijci potuit arripiens, deteſtatiſq; pariter, & abiuratis publicè omnibus hæreticorum erroribus & deliramentis, fidem Catholicã (vt præfertur) profeſſus eſt. Quibus ad eundem Pont. perlatis, ac etiam pro eo ſimilibus precibus porrectis, ipſe prædeceſſor illum, ac etiam quondam Mariam Cliuenſem prętenſam coniugem ſuam, eodem tũc hæreſis crimine infectam, ſimili modo pœ-

nitentem, deteſtantem, ac profitentem, ab hæreſi, & cẽſuris huiuſmodi abſoluit, eoſq; in gremium Catholicæ Eccleſiæ, fideliumque conſortium, recepit, quinetiam ex paternæ charitatis abundantia, cum eis, vt nõ obſtante impedimento ſecundi gradus, cõſanguinitatis, quo inuicem tenebantur matrimonium inter ſe contrahere poſſent diſpenſauit. Sed ille paulopoſt ad priſtinam impietatem rediens, deterrimamq; illam viam, quæ ſignata & impreſſa erat veſtigijs quondam Ludouici Condenſis patris ſui impijſsimi Catholicæ Eccleſiæ perſecutoris, ingreſſus, eiſdemq; veſtigijs inſiſtens, ſe quoque hæreticorum, ac conſceleratorum hominum dicti Regni Galliæ, Ducem, ac defenſorem, bellorumq; ciuilium ac ſeditionum, auctorem præſtitit, militum hæreticorum exterorum copias in Galliam tranſduxit, Vrbes & oppida expugnare tentauit, templa euertit ſacra, violauit, & populatus eſt, Sacerdotes indignis modis necauit; miniſtróſq; impietatum ſubſtituens, peruersã illorum doctrinam publicari & cuſtodiri iuſſit, & deniq; omne feritatis & ſæuitiæ genus, tam in Dei miniſtros, quam in cæteros Catholicæ fidei cultores exercuit. Quæ

omnia cum manifesta, publica, & notoria sint: cumq; nobis plenè, & legitimè constet, præsertim ex processu, tempore eiusdem fel. rec. Gregorij Papæ, prædecessoris nostri, confecto, & alijs quàm plurimis documentis, & grauissimis testimonijs, Henricũ quondam Regem, & Henricum Condensem prædictos, notorij, & inexcusabilis criminis hæresis, & in hæresim relapsos, atque etiam hæreticorum fautoriæ reos existere; Nos gladiũ vindictæ contra eos, pro officij nostri debito exerere coacti, vehementer indolemus, quod illum in hãc prolem detestabilem ac degenerem inclytæ Borboniorum familiæ, in qua spectatæ Religionis candor & virtutis decus, ac in Sedem Apostolicam obseruãtia omni tempore emicuit, pro his sceleribus conuertere debeamus. Itaque in præcelso hoc solio, & in plenitudine potestatis, quam ipse Rex Regum & Dominus dominantium, licet nobis indignis, tribuit, constituti, auctoritate Dei Omnipotentis, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, & nostra, ac de Venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, consilio, pronunciamus, & declaramus Henricum quõ-

dam

dam Regem, & Henricum Condensem supradictos fuisse & esse hæreticos, in hæreses relapsos & impœnitentes, hæreticorũ quoque duces, fautores, & defensores, manifestos, publicos, & notorios; sicq; læsæ Maiestatis diuinæ reos, & orthodoxæ fidei Christianæ hostes; adeò vt nulla possint, se tergiuersatione aut excusatione, defendere; ac proinde eos damnabiliter incurrisse in sententias, censuras, & pœnas sacris canonibus & Cõstitutionibus Apostolicis, legibusq́; generalibus & particularibus contentas, ac, hæreticis relapsis, & impœnitentibus, debitas, & specialiter eosdem fuisse & esse ipso iure priuatos, Henricum quondam Regem, videlicet prætenso Nauarræ Regno, illiusq́; parte, quam adhuc obtinuit, necnon Bearni. Alterum verò Henricũ, Cõdensi, & vtrumq; eorumq; posteros omnibus, & quibuscunq; alijs Principatibus, Ducatibus, Dominijs, Ciuitatibus, & locis, feudisq; & bonis etiam emphyteoticis & successionibus, necnon dignitatibus, honoribus, muneribus, & officijs, etiam Regijs, ac iurisdictionibus & iuribus, quæ de facto detinent, & ad quæ ius quomodolibet habuerunt, seu prætendunt, eosdemq; pro-

pterea se illis reddidisse indignos, ac fuisse, & esse inhabiles & incapaces ad illa retinē-da, & alia huiusmodi in posterum obtinenda. Ac pariter eos ipso iure priuatos & incapaces, ac inhabiles ad succedendum in quibuscūq; Ducatibus, Principatibus, Dominijs, & Regnis, ac specialiter in Regno Frãciæ, in quo tot atrocia, & nefaria crimina patrarunt, ac Regno ipsi annexis dominijs, iurisdictionibus, & locis, cæterisq́; omnibus bonis & rebus prædictis, & ad illa aliàs quomodocumq; acquirendum, prout etiam ex abundãti, & in quantum opus est, nos illos, illorumq; posteros priuamus in perpetuũ, videlicet Henricum quondam Regem Regno Nauarræ, & illius parte, ac Bearni, & alterum Henricum Condensi, ac vtrumque, & eorum posteros alijs Principatibus, Ducatibus, Dominijs, Feudis, ac cæteris omnibus bonis & rebus, necnon iure succedēdi & acquirendi, alijsq́ue prædictis vniuersis & singulis. Ac etiam in perpetuum inhabilitamus eosdem, eorumq; posteros ad illa, & ad successionem in quibusuis Principatibus, Ducatibus, Dominijs, Feudis, & Regnis, & signanter in Franciæ Regno, & illi annexi omnibus supradictis, supplentes

omnes

omnes iuris, & facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem. Quinetiam Proceres, Feudatarios, Vassallos, Subditos, & populos Regnorum, Ducatuum, Principatuũ, & aliorum Dominiorum prædictorum, etiã alium Superiorem non recognoscentes, ac cæteros omnes, qui illis quomodocumq; iurauerunt, à iuramento huiusmodi, ac omni prorsus Dominij, fidelitatis, & obsequij debito, perpetuo absolutos esse, prout nos illos omnes tam vniuersè, quàm singulatim, auctoritate præsentium absoluimus & liberamus. Præcipimusq;, & interdicimus eis vniuersis & singulis, ne illis, eorumue monitis, legibus, & mandatis audeant obedire: qui secus fecerint, eos excommunicationis sententia innodamus eo ipso. Cæterum eundem charissimum in Christo filium nostrum Henricum Francorum Regem Christianissimum, per viscera misericordiæ Iesu Christi hortamur, rogamus, ac etiam mone mus, vt memor præstantissimæ fidei & Religionis Regum maiorum suorũ, quã quasi hæreditatem longè ipso Regno potiorẽ ab eis accepit, memor etiam illius iuramenti, quod in eius coronatione de exterminandis hæreticis solemniter præstitit, aucto-

ritate, poteſtate, virtute, atque animi magnitudine verè regia ad executionem, tã iuſtæ huius ſententiæ noſtræ incumbat, vt ſcilicet in hoc quoque gratum ſe Omnipotenti Deo exhibeat, & matri ſuæ Eccleſię obſequium debitum perſoluat. Propterea omnibus Venerabilibus fratribus noſtris Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, per Regnum Franciæ & Nauarræ, Bearni, & alia prænominata loca, conſtitutis, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, vt cum primum harum litterarum exempla ad eorum manus peruenerint, illa publicari faciant, & quãtum in ipſis erit, ad effectum perduci curent. Volumus autem, quod eędem præſẽtes noſtrę litterę ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in acie Campi Floræ, vt moris eſt, affigantur, & publicentur, quodq; earum exẽplis etiam impreſſis, ac Notarij publici manu, & Pręlati Eccleſiaſtici, eiuſue Curiæ ſigillo obſignatis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud vbiq. gentium habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę pronunciationis,

nis, declarationis, priuationis, inhabilitationis, ſuppletionis, abſolutionis, liberationis, præcepti, interdicti, innodationis, hortationis, rogationis, monitionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, Apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto. v. Id. Septẽbris. Põtificatus Noſtri Anno Primo.

✠ Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Episc.



✠

✠

✠ Ego Io Ant. Episc. Tusc. Card. S. Geor.

✠

✠

✠

✠ Ego M. S. Card. ab Altaemps.

✠ Ego Inn. Aual. Card. de Arag.

✠

✠

✠ Ego P. Card. Sanctacrucius.

✠ Ego Guliel. Card. Sirletus.

✠ F. Michael Bon. Card. Alex.

✠ Ego Lud. Card. Madrutius.

✠ Ego N. Card. Senonen.

✠ Iul. Ant. Sanctorius Card. S. Seuerinæ.

✠ P. Card. Cæsius.

✠

✠ Ego Hier. Card. Rust.

✠ Ego Io. Hier. Card. Albanus.

✠

✠ P. Card. Deza.

✠ Ego Ant. Card. Carafa.

✠ Io. Ant. Card. SS. Quatuor.

✠ Io. Bap. Card. S. Marcelli.

✠ Aug. Card. de Verona.

✠ Ego Vinc. Card. Montis Regalis.

✠ Ego M. Card. S. Stephani.

✠ Sci-

✠ Scipio Card. Lancelottus.

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Fer. Card. de Medicis.

✠ Phil. Vaſt. Card. Cam.

✠

✠ Ego Vincen. Card. Gonzaga.

✠ Ego Fr. Card. Soſortia S. Nic.

✠

✠ Alex. Card. de Montealto.

Anno à Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto, Indictione xiij. Die vero vigeſima prima Mẽſis Septembris, Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & D.N. D. Sixti diuina prouidentia PP. V. Anno primo, Retroſcriptæ litteræ affixæ & publicatę fuerunt in Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, per nos Hieronymum Lucium, & Nicolaum Talliettũ, Sanctiſsimi Domini Noſtri Papæ Curſ.

Io. Andreas Panizza Mag. Curſ.

LITERAE MONITORIALES

S D N D GREGORII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIIII.

Etiam ſub cenſuris & pœnis, ad Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Priores, cæterosq; Eccleſiarum ſecularium & regularium Prælatos, Capitula, Collegia & Conuentus ac perſonas Eccleſiaſticas quaſcũque per Regnum Franciæ conſtitutas,

VT

Ab Henrico Borbonio quondam Nauarræ Rege, ac ab eius ſequacibus, fautoribus & defenſoribus, illiq. adherẽtibus Principibus & Proceribus, ac alijs qui apud eum ſunt omninò recedãt, atq; illum & illos prorſus deſerant & derelinquant.

GREGORIVS Epiſcopus Ser-
uus Seruorum Dei,

Vniuerſis & ſingulis venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac Dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, cæterisq. Eccleſiarum ſecularium, & regularium Prælatis, Capitulis, Collegijs & Conuentibus, ac perſonis Eccleſiaſticis, quibuſcũque, per Regnum Franciæ conſtitutis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

BEATISSIMI Apoſtolorũ Principis Petri Cathedræ, ſuper quam Dominus ac Redemptor Noſter Ieſus Chriſtus ſuã ædificauit Eccleſiã, eodem Petro, ac illius ſucceſſoribus, totius gregis ſui Paſtoribus cõſtitutis, diſpoſitione diuina, licet tanto loco & munere indigni, præſidentes, pro iniuncta nobis Eccleſiarum omnium ſolicitudine, cunctis gentibus, ac populis, quam debemus Paſtoralẽ vigilantiam & curam, ipſo iuuante, Domi-

no præſtare cupimus & conamur. Proinde cum inter grauiſſima, quibus, vndique præmimur Christianę Reipublicę mala, nihil æque animum noſtrum perculſerit, anxiũq. & ſolicitum reddiderit, quàm Regni iſtius Franciæ præſtantiſſimi Eccleſiæ membri, nobisq. & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ ob multa & pręclara eius merita, chariſſimi & coniunctiſſimi, tam diuturna omnium rerũ perturbatio, ingensq. & inueterata calamitas, quæ, nõ ſolum Vrbes, Oppida, Agros Terrenaq. omnia, ſed ipſa etiam ſpiritualia & cæleſtia bona, nempe verum Dei cultũ, animarumq. ſalutem, aggreſſa eſt, immenſamq; ſtragem, instigante humani generis hoſte, edere parat, niſi, maturè & fortiter ab omnibus Regni Ordinibus cõcordi animo, & ab ijs præſertim, qui Dominici gregis, curæ & cuſtodiæ præſunt, reſiſtatur. Quare ſicut nos afflictioni veſtræ, ac totius Regni, paterna miſeratione compatimur, nullũq. erga vos veræ pietatis officium prætermiſſuri ſumus, ita vos probationis veſtræ tempus debetis agnoſcere, & cõtra impetus oppugnantium, munitionibus cęleſtibus freti, incommutabilis animi conſtantiam præparare, memores, quo maior ingruit aduerſi-

tás & tribulatio, eò feruentius insistendum esse orationibus, ieiunijs, prædicationibus, hortationibus, admonitionibus alijsque pijs, & Deo gratis operibus, quibus scilicet, & propitius reddatur Deus, & ij permoti, qui veritati Catholicæ, & publicæ paci obsistunt, tandem aliquando quiescant, & ab instituti prauitate, diuina opitulante gratia deducantur, impiasq́. vias suas derelinquant. Quam autem vim habeant ad placandam Dei iram, pura & immaculata Sacerdotum vita, assiduæque, ac deuotæ ad Deum fusæ preces, multis in locis sacra testantur eloquia. Hæc sanè prima sunt & validiora fidelium Dei seruorũ arma, quibus tamen postea cum opus sit, iungẽda sunt alia, auctoritatis & diuinitus traditæ potestatis. Sed dolendum est, & quidẽ grauiter dolendum, nonnullos vestri ordinis adeo sui ipsorum officij oblitos, vt eisdẽ Ecclesiæ Catholicæ aduersarijs, pacisq́. turbatoribus, ne verbis quidem resistere ausi sint, tãquã canes muti, nõ valẽtes latrare: quinimo, vt fama est, turpiter, & magno cũ bonorum omnium dolore, & Ecclesiastici ordinis dedecore, eis se comites & adiutores præbuerint, quasi de Henrico Borbonio

quōdã Nauarræ Rege, quæ cunctis notissima sunt & manifesta, ipsi ignorare possent vel deberent. Quiquidẽ Henricus a primis annis, matris opera, hæresibus infectus, in eis diu perseuerauit; & cum iam adulta esset ætate, malumq́. à bono, hæreticorũ mẽdacia à fidei Catholicæ veritate secerneret, Parisijs publicè in Ecclesia vbi Rex, ac Regni Principes & Proceres frequentes aderant, post nonnullas disputationes inter Catholicos Sacræ Theologiæ Doctores, & hæreticos ministros ipso instante atque præsente habitas, fidem Catholicam amplexus, atque professus fuit, hæresibus, quibus antea imbutus fuerat, detestatis & abiuratis, ac verum se & sincerum Catholicæ fidei cultorem deinceps omni tempore futurum, pollicitus est, & postmodũ litteras ad Sãctæ memoriæ Gregorium Papam Decimumtertium prædecessorem nostrum scripsit, quibus, eum supremũ Ecclesiæ Catholicæ caput agnoscens, supplex deprecabatur, vt conuersionis & obedientiæ suæ confessionem acceptam habere, præteritorumq́. criminum veniam, ei concedere dignaretur, quod & obtinuit; firmiter etiam promittẽs se fidem Catholicam perpetuò

integrè,& inuiolatè seruaturum; & deinde Oratore Romā misso, qui suo nomine, obediētiam eidem Gregorio prædecessori prçstaret, atq; de pœnitentia, conuersione, fide & constantia sua in Sedis Apostolicæ conspectu, sponderet, prout in publico Consistorio assistentibus eidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, necnō præsentibus plurimis Prælatis, & Romanæ Curiæ Officialibus, alijsq. innumeris personis per eundem Oratorem præstitit, atque spopondit. Quinetiam publico proposito edicto in suę ditionis Prouincijs, ac Terris fidem Catholicam restitui, eamq. solam ab omnibus suis subditis seruari mādauit, falsamq. Religionem, seu hæreses in eis prædicari, vel teneri prohibuit, atque ita per aliquod tempus, vt Catholicus haberetur, exteriore cultu præ se tulit. Et nihilominus, cùm idem postea violato iureiurando, & fracto promissionis, quo se obstrinxerat, vinculo, repentè Catholicæ Religionis hostem accerrimū, hæreticorumq. caput, ac Principem se declarasset, atque in Ciuitates, & Oppida recens ab eo capta, hereticos predicantes introduci iussisset, atque omni conatu ad ipsas hæreses confirmandas, & propaganda

incu-

incubuisset, atq; ita se vt fidei desertorem, promissionis fractorem, & iurisiurandi violatorem, Regno Franciæ indignum, incapacem reddidisset, iure ac merito, felicis recordationis Sixtus Papa V. etiam prædecessor noster eũdem Henricum quondam Nauarræ Regem vti hæreticum, in hæreses relapsum, & impœnitentem adeo manifestum, publicum, & notorium, vt nulla posset se tergiuersatione & excusatione defendere, damnabiliter incurrisse in censuras & pœnas a sacris Canonibus, alijsq; Apostolicis constitutionibus & legibus statutas, atque prætenso Nauarræ Regno, vel illius parte, ac Bearni, & quocũque alio Principatu, Dominijs, locis, feudis, ac bonis, & successionibus, necnon dignitatibus, honoribus, muneribus, & officijs, etiam Regijs, ac iurisdictionibus, & iuribus, quæ de facto obtinebat, aut ad quæ ius quomodolibet habebat, seu prætendebat, ipso iure priuatum, ac indignum, inhabilem, & incapacem ad illa, & alia imposterum obtinenda, seu retinenda, & ad succedendum in quibuscũque Principatibus, Dominijs, & Regnis, ac specialiter in Regno Franciæ per suã sententiam, de eorũdem Sanctæ Romanæ Ec-

clesiæ Cardinalium consilio, pronunciauit & declarauit, prout in litteris eiusdẽ Sixti prædecessoris Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo octuagesimoquinto, quinto Idus Septembris, Pontificatus sui Anno primo, desuper editis plenius continetur. Nemo igitur vestrum, qui tam grauiter deliquit, eorum quæ superius dicta sunt, ignoratione, vel cuiusuis alterius causæ, aut rationis, vel excusationis obtẽtu, tueri se aut defendere potest. Quis enim nesciat, quæ Deo, & Sanctæ Ecclesiæ Catholicę propriè debẽtur, & spondentur, ea vel sanguini, vel amicitiæ, vel gratiæ, vel precibus quorumuis hominum, aut cuicũque alteri respectui & affectui humano dari non posse? Etenim si hæc confundantur, vbi vestra erit religio, fides, pietas commissarum ouium cura, & debita Sedi Apostolicæ obedientia? Meminisse vos oportet, eorum quæ Dominus per Ezechielem cõminatus est malis Pastoribus: Aeternus enim Pastor & Iudex, quæ vobis commisit, irrequisita non relinquet, cui tantò districtius rationem reddituri estis, quantò digniora & potiora sunt quæ accepistis. Cui enim plus creditum, ab eo plus exigẽdum.

dum. Et si neglectus error ouiũ, culpa Pastorum est, quid ergo fiet illis Pastoribus, qui errantes ipsi & delinquentes, alios secum in eosdem errores & delicta pertraxerunt, vel erroris causam dederunt? Cæterum, si paulo altius præsentium ærumnarum radicem quærere velimus, vtique inueniemus, non multo ante tempore Franciæ Reges dum varijs bellis impliciti dominandi causa fœdera cum infidelibus, & amicitiam cum hæreticis contraxerũt, eorumq́. auxilia acciuerunt, hac potissimum de causa, quamquam aliæ non defuerint, Dei iram in se, posterosq. suos, & subiectos populos prouocasse. Inde inuectas in Regnum hæreses; inde dissidia; inde ciuiles discordiæ; inde atrox, & intestinum hoc bellum excitatum, & ad hæc vsque tempora productum. A capite igitur omne malũ, cuius nec finis apparet, nec sperandus aut expectandus est, nisi cum Dominus, bonũ & pium vobis dederit Regem, nomine & actione verè Christianissimum. Quamobrem vnusquisq; vestrũ cogitet, qua ratione pro virili sua Sanctæ Religionis Catholicæ defensioni, Ecclesiarum conseruationi, ac totius Regni, paci & quieti prodesse

possit,

possit, ad idq́. animum, & vires, & facultates omnes suas intendat; minimè dubitans, quin misericors & miserator Dominus præsentibus miserijs & aduersitatibus finem citò sit impositurus, iuxta illud, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Nos certè quæcũque poterimus nõ solum spiritualia, & temporalia, sed etiam militaria auxilia periclitanti Religioni Catholicæ ac Regno, subministrare non omittemus, atque vtinam possemus ad vos iter facere, & præsentes fraternæ charitatis opus incessanter exhibere, nullis laboribus, nullis periculis, nec etiam sanguinis & vitæ nostræ effusioni parcẽtes: Sed cum id, nec per ætatem, nec per valetudinẽ, nec etiam per eas, quas hic sustinemus molestias & difficultates, agere nobis liceat, saltẽ dabimus omnem operam, ne quid à vobis tali vestro tempore iustè desideretur, quod à nobis, & ab hac Sãcta Sede proficisci possit. At verò præcepti illius Dominici memores, quo iubemur in persona Beati Petri fratres nostros confirmare; illos quidem, qui in officio & vocatione sua firmiter permanserũt, & quibus potuerunt modis, Dei & Sanctæ Religionis Catholicæ causam iuuarũt, po-

pulosq. sibi creditos, in fide & officio retinuerunt hoc nomine laudamus, diligimus, charosq. habemus, ac omni honore, & premio dignos iudicamus. Hortamurq. etiã, vt vsque ad finem constanter in eo perseuerẽt; nec laboribus vel periculis, aut minis etiam mortis deterreantur, cum sciant, bonum Pastorem animam ponere debere pro ouibus suis, sed indies, magis merita apud Deum sua, augere studeant, atque ita vt optatam illã vocem audire mereantur, Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Alios verò, quod dolenter referimus, qui à via recta declinarunt, ne ipsi officio nostro desimus, & ne cum malè agentibus, propter silentiũ condemnemur, corrigi & emendari cupientes, vniuersos & singulos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & Prælatos, necnõ Capitula, Collegia, & Conuentus, atque alias quascũque Ecclesiasticas personas, cuiuscunis ordinis, status, gradus, prerogatiuæ, preeminentiæ & dignitatis existãt, memoratum Henricum quondam Nauarrę Regem sequentes, vel comitantes, aut quoquomodo ei vel Principibus, aut proceribus illi

faven-

fauentibus vel adhærentibus, fauentes vel adhærentes, auctoritate Apostolica tenore præsentium in Domino requirimus & monemus, ipsisq. in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo, mādamus; quatenus sub suspēsionis à diuinis, à regimine Ecclesiarum, ac ab illarum ingressu, & fructuum perceptione earundem Ecclesiarum, & beneficiorum suorum quorumcumq; quoad Episcopos, & Superiores, quo verò ad alios inferiores, sub excommunicationis maioris, itemq. amissionis omnium fructuum similiter Ecclesiarū, Monasteriorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcūq; secularium vel regularium, cuiusuis ordinis & Congregationis, quæ quomodolibet obtinent in titulum vel commendam, ac quoad Capitula, Collegia, & Conuentus, interdicti etiam Ecclesiastici, alijsq. Ecclesiasticis censuris, & arbitrio nostro infligēdis, & irrogandis pœnis, illico omni & quacūq; postposita mora, exceptione, aut excusatione, ac saltem intra terminum quindecim dierū immediatè sequentium post diem publicationis præsentium litterarum, modo, & forma infrascriptis faciendæ, quorum quinque pro prima, quin-

quinque pro ſecunda, & reliquos quinque dies pro tertia Canonica monitione, ac tertio, & vltimo peremptorio termino ipſis præfigimus & aſſignamus ab eodem Hērico, ac ab eius ſequacibus, fautoribus, & defenſoribus, illiq́. adhærentibus, Principibus & proceribus atque aliis, qui apud eum ſunt, omnino recedant, illumq́. & illos prorſus deſerant & derelinquant, neque vllam cum eis ſocietatem, fœdus, ligam, aut conſuetudinem habeant, ineant, foueant, aut retineant, vel opem, præſidium, auxilium, conſilium, vel fauorem eis directè vel indirectè, per ſe, vel alium, ſeu alios quouis quæſito colore, vel prætextu, aut aliàs quomodolibet, præſtent, aut impendant. Quod, ſi qui eorum re ipſa, ac omni dolo, & fraude ceſſante, non fecerint, nec fideliter adimpleuerint, eos in cēſuras & pœnas prædictas incidiſſe, & inſuper, ſi, quod abſit, intra alios quindecim dies proximè ſequentes non paruerint, ſed animo permanſerint obdurato, dictarum Eccleſiarum, etiam Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Monaſteriorum, quibus præſunt, ac quarumuis dignitatum, Ca-

nonica-

nonicatuum, & præbendarum, Prioratuũ, & Præpoſiturarum, Rectoriarum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcũque cum cura, & ſine cura, quocumque titulo, honore, & nomine cenſeantur, aut appellentur, priuationis pœnam ipſo facto incurriſſe, tenore præſentium, de poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine, decernimus & declaramus. Cæterum à ſuſpenſionis, excõmunicationis maioris, interdicti Eccleſiaſtici, & alijs cenſuris, & pœnis prædictis, quicũque in eas incurrerint, nullo modo abſolui, aut liberari poſſint, neque etiam in foro conſcientiæ à quoquam ſeculari, vel cuiuſuis ordinis regulari Presbytero, vel Prælato, quauis dignitate & auctoritate fungente, niſi à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, & præterquã in mortis articulo, & tunc, non niſi præſtita cautione de parendo mandatis Eccleſiæ, & congruè ſatisfaciẽdo, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum, etiam occaſione Iubilei plenarij, vel Cruciatæ Sanctæ, ſeu confeſſionalium quibuſcũque perſonis Eccleſiaſticis ſecularibus, & quorumuis ordinum, etiam Mendicantium & Militiarum regularibus, etiam Epiſcopali,

vel

vel alia maiori dignitate præditis, ipsisq; Ordinibus, ac eorum Monasterijs, Conuẽtibus, Domibus, & Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis pijs, ac cæteris personis supradictis per nos, & dictam Sedem, & cuiusuis Concilij, etiam generalis, decreta verbo, litteris, aut quacũq; scriptura in genere vel in specie concessorum, & innouatorum, etiãsi in eis casus in litteris die Cœnæ Domini legi solitis expressi comprehẽdantur, nisi de præsentibus nostris litteris specifica, & expressa, non autem per clausulam, Quorum tenores, & alias quascũq; clausulas generales idem importantes mẽtio fiat. Vt autem præsentes nostræ litteræ ad ipsorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & Prælatorum, necnõ Capitulorum, Collegiorum, & Conuẽtuum, atq; aliarum supradictarum personarũ notitiam facilius perueniant, seu peruenire possint, easdem nostras litteras tam in Alma Vrbe nostra in Lateranen. & Principis Apostolorum, Basilicarum, & Cancellariæ Apostolicæ valuis, ac in acie Campifloræ per aliquem ex Cursoribus nostris, quàm etiam in partibus Regni Franciæ, in Valuis

ſex infraſcriptarum, videlicet, Lugdunen. Rothomagen. Pariſien. Aurelianen. Tholoſan.& Aquen. vel ſaltem quatuor ex eis, vel aliarum in eodē Regno Franciæ conſiſtentium Cathedralium, vel Metropolitanarum Eccleſiarū more ſolito legi,& publicari,& inibi affigi, & per aliquod temporis ſpatium affixas dimitti, eiſq́. poſtmodum inde detractis, earum exēpla in eiſdē locis pariter affixa relinqui mandamus. Decernentes vt earundem litterarum publicatio ſic facta ſupradictos omnes, & eorum quēlibet perinde arctet, obliget,& afficiat, ac ſi litteræ ipſæ eis, vel eorum ſingulis lectæ, & perſonaliter intimatæ atq; inſinuatæ fuiſſent; cum non ſit veriſimile, ea quæ tam patenter & publicè facta fuerint, ipſos poſſe quomodolibet ignorare. Quia verò difficile eſſet præſentes litteras ad ſingula loca, ad quæ oporteret, deferri; volumus, vt earum tranſumptis, etiā impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides habeatur in iudicio & extra illud, vbiq; gentium, & locorum, quæ haberetur eiſdē præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtēſæ. Nulli ergo omnino

nino hominum liceat hãc paginam nostræ requisitionis, monitionis, præfixionis, assignationis, declarationis, mandatorum, decretorum, & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attentare præsumpserit, indignationẽ Omnipotẽtis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingẽtesimo nonagesimo, Kal. Martij, Pontificatus nostri, Anno Primo.

L. Dat.

M. Vestrius Barbianus.

A. de Alexijs.

Anno à Natiuitate Domini, Millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Indictione quarta, die vero vigesimaquinta Mensis Maij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIIII. Anno Primo, Retroscriptæ litteræ monitoriales eiusdem S.D.N.Papæ ad Prælatos, & alias personas Eccle-

ſiaſticas Regni Franciæ, lectæ, publicatæ, & intimatæ fuerunt in Vrbe Roma, in valuis Baſilicarum Lateranen. & Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſt. & in Acie Campifloræ, & inibi affixæ ac ſic affixæ per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ ſimiliter fuerunt, eisq. poſt modum inde refixis & detractis, illarum copiæ, ſeu exempla cum his originalibus auſcultata, & concordata in eiſdem locis affixa, relicta ſunt, iuxta earundem & litterarum formam & tenorem, per nos Octauium Tagliettum, & Nicolaum Drouyn prælibati Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſores.

Pompeus Guerra Magiſt. Curſ.

LITTE-

LITERAE

S·D·N·D·GREGORII

DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIIII.

Exhortatoriæ & monitoriæ ad Principes, Duces, Marchiones, & Comites, aliosq; Regni Franciæ Proceres ac Nobiles, Henrici Borbonij quondam Nauarræ Regis partes sequentes; necnon ad Communitates, Vniuersitates, & populos, atque cæteras personas seculares sub eiusdem Henrici dominatu existentes, ne eidem Henrico vlterius adhæreant, vel quoquomodo faueant.

GREGORIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei,

Vniuersis, & singulis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, alijsq; Regni Franciæ Proceribus, ac Nobilibus, Henrici Bor-

bonij quondã Nauarrę Regis partes sequẽtibus, vel apud eum commorantibus: Necnon Prouinciarũ, Ciuitatum, Oppidorum, & Locorũ sub eiusdem Henrici dominatu existentium, Communitatibus & Vniuersitatibus, ac Populis, Ciuibusque & Incolis quibuscumq;. Salutem, & spiritum sanioris consilij.

POSTQVAM Diuinæ placitũ est bonitati, quæ vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea quæ sũt, humilitatem nostram ad munus Apostolicum omniũ maximum & grauissimum, & ipsis Angelicis humeris formidãdum, vocare; animo reuoluentes ingentia, quibus Populus Christianus affligitur, mala, variasq; eiusdẽ ærumnas & calamitates, & in primis Regnum Franciæ olim præstãtissimum Ecclesiæ columen, & Catholicæ fidei firmissimum præsidium ac propugnaculum, exortis, in eo iãdiu de Religione ac de Regno, dissidijs, in partes distractum, intestino & crudeli bello ardere, & miseran-

dum

dum in modũ conflictari; scissum est cor nostrũ doloris amaritudine, nec potuimus nostram, & afflicti populi, vicem vehementer non lugere. Sed in eo firmam habentes fiduciam, qui sperantes in se numquam deserit, atque, cũ Ecclesia sua, & cum fidelibus seruis suis, vsque ad cõsummationem seculi se futurum esse pollicitus est; nec permissurũ, vt portæ inferi præualeant aduersus eam; animum ereximus, statimq; cogitatus, laboresq; nostros ad id conuertimus, vt Regno, & Nationi isti tãtopere de Ecclesia Romana benemeritæ, & nunc grauissimè laborãti, quam celerrime, opera, studio, vigilantia, curaq; Pastorali, & ipsa, si necesse sit sanguinis & vitę nostræ, effusione, opportunam ac necessariam opẽ feramus. Nouit Deus scrutator cordium, nos nec nostris nec alterius cuiusquam cupiditatibus vel affectibus humanis, duci, non nostra quærere, sed quę sũt Iesu Christi, nihilq; ante oculos habere, nisi Dei gloriam, animarum salutem, publicam quietem & tranquillitatem, ac Regni istius Nobilissimi conseruationem. Speramus equidem eundem Deum, qui bonarum consueuit esse adiutor mentium, sicut etiam largitor est, pro immensa misericordia sua pijs

noſtris conatibus propitium fore, optatũq; incremẽtum daturum. Sed, veſtra, tamẽ in hoc, pietate, veſtra opera, & obſequio indigemus, quia vos, ſine vobis, ſaluos facere non poſſumus. Alios omnes, qui in armis ſunt, & vobis aduerſantur, in poteſtate noſtra fore non dubitamus; ſi vos idem facere in veſtrum animum induxeritis; omnia erunt facilia, & breui tempore, Religio, Pax, ac iſtius Regni Nationiſq; gloria priſtinum in locum reſtituẽtur. Oportet ſanè eos, qui generis Nobilitate præfulgent, Chriſtiana in primis pietate, ac Fidei Catholicæ cultu & obſeruantia, præcellere; ſine quibus nulla poteſt eſſe vera Nobilitas, dicẽte Domino: Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum; Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Reges veſtri, ſummum Regiæ dignitatis faſtigium aſſecuti, etſi nihil amplius eis addi poſſe videbatur, pro ſuis tamen erga Dei Eccleſiam, Sanctamq; Fidem Catholicã, maximis meritis ac beneficijs, pulcherrimo Chriſtianiſsimi cognomine ab eadem Eccleſia decorati, id ornamentũ nõ minus cupidè, quàm deuotè, ſuſceperũt, ac longè pluris quàm Regiam ipſam dignitatem, æſtimarunt. Quando igitur Reges

optimi

optimi ac prudẽtiſsimi, nihil habuerunt antiquius, quàm vt ad proprium profectum ac aliorum exemplum & ędificationem, ipſorum, erga Sãctam Eccleſiam Catholicã, quàm maximè eluceret pietas, atq; deuotio; quanto magis decet vos omnes, & eos præſertim, qui Nobilitate præſtant, tantorũ Principum veſtigia ſequi, & Sanctæ Matris Eccleſię dicto audientes eſſe, ac monitis, cõſilijſq; ſalutaribus obtemperare? Igitur, vt opportuna aliqua ratio à nobis, Deo iuuãte, iniri poſſit, id quod dies noctesq; cogitamus, qua, tot impendentibus malis occurratur; & talẽ habeatis Regem, qui dignus ſit vobis præeſſe & dominari, ac verè pius ſit, & re & nomine Chriſtianiſsimus; Vos, his noſtris litteris, quas, vt ad omnium notitiã celerius perferantur, nec quiſquam earum ignorationem prætendere poſsit, volumus, in Pariſiẽſi, Aurelianẽſi, Lugdunẽſi, Aquẽſi, & Toloſana, vel aliarum Ciuitatum, Eccleſijs Cathedralibus, more ſolito, dum ibi diuina celebrabuntur Officia, publicari, earũque exempla valuis earundem Eccleſiarũ affixa relinqui; & poſt menſem à die publicationis huiuſmodi numerãdum, ita eos omnes, ad quos pertinẽt afficere & obliga-

 re,

re, ac si eis singulis lectę, & intimatę fuissēt, Hortamur, & per viscera misericordiæ Dei, & Domini Nostri Iesu Christi omni efficaciori quo possumus, modo, ac etiam sub interminatione diuini iudicij, rogamus, obsecramus, obtestamur, ac monemus, ne diutius Henrico Borbonio quondam Nauarræ Rege adhæreatis, vel quoquomodo faueatis: Ipse enim à teneris annis pessima hæreticæ matris educatione corruptus, cum iam esset adultus, & in ea ætate, qua, bonū à malo, hæreticorum mendacia, à Religionis Catholicæ veritate secernere poterat, Parisijs publicè in Ecclesia vbi Rex, & Regni Principes, ac Proceres frequentes aderant, post nonnullas disputationes inter Catholicos Sacræ Theologiæ Doctores, & hæreticorū ministros, ipso instante atq; præsēte, factas, Fidem Catholicam amplexus & professus est, hæresibus, quibus antea imbutus fuerat, detestatis, & abiuratis; & præterea sincerū se, ac verum Catholicę fidei cultorem, deinceps omni tempore futurum pollicitus est; scriptis etiam litteris, ad Sanctæ mem. Gregorium Papam XIII. prædecessorem nostrū: quibus eum supremum Catholicę Ecclesię caput agnoscebat, & supplex deprecabatur

vt conuersionis & obedientiæ suæ cõfessionem acceptam habere, & preteritorum criminũ veniã cõcedere dignaretur, (quod, & obtinuit) firmiter promittens, se fidem Catholicam perpetuò integrè, ac inuiolatè seruaturum; & deinde etiam Oratore Romam misso, qui suo nomine obedientiam eidem Gregorio prædecessori præstaret, atque de pœnitentia, conuersione, fide, & constantia sua, in Sedis Apostolicæ conspectu spõderet, prout in publico Consistorio; assistẽtibus eidem Sanctæ Romanę Ecclesię Cardinalibus, necnon pręsentibus compluribus Prælatis, & Romanæ Curiæ Officialibus, alijsq; innumeris personis, per eũdem Oratorem pręstitit & spopõdit, ac publico proposito edicto, in suæ ditionis, Prouinciis & Terris fidem Catholicam restitui, eãq; solã ab omnibus suis subditis seruari mandauit, falsamq. religionem seu hæreses in eis prędicari aut teneri prohibuit, Atque ita per aliquod tempus, vt Catholicus haberetur, exteriore cultu, præ se tulit. Attamen cum postea violato iureiurando, & fracto promissionis, quo se obstrinxerat, vinculo; repentè Catholicæ religionis hostem acerrimum, Hæreticorumq. Caput ac Principẽ

se de-

ſe declaraſſet, atq; in Ciuitates & Oppida tunc temporis ab eo capta hæreticos prædicantes introduci iuſſiſſet, atque omni conatu ad ipſas hęreſes confirmandas,& propagãdas incubuiſſet; iure ac merito fel.rec. Sixtus Papa V. etiam prædeceſſor noſter, eundem Henricum fuiſſe & eſſe hæreticũ, in hæreſes relapſum,& impænitẽtem; Hæreticorum quoq; Ducem, Fautorẽ & Defenſorem manifeſtum, publicum, & notorium, adeò vt nulla poſſet ſe tergiuerſatione aut excuſatione defendere; ac proinde damnabiliter incurriſſe in cenſuras & pœnas à ſacris canonibus, alijsq. Apoſtolicis conſtitutionibus & legibus ſtatutas; atq; prætenſo Nauarræ Regno, vel illius parte, ac Bearni, & quocumque alio Principatu, Dominijs, Locis, Feudis, ac bonis & ſucceſſoribus, necnõ dignitatibus, honoribus, muneribus,& officijs,etiam Regijs,ac iuriſdictionibus,& iuribus,quę de facto obtinebat, aut ad quæ ius quomodolibet habebat,ſeu prætendebat, ipſo iure priuatum ac indignum inhabilem & incapacem ad illa, & alia huiuſmodi in poſterum obtinenda ſeu retinenda,& ad ſuccedẽdum in quibuſcumq; Principatibus,Dominijs,& Regnis,

ac ſpecialiter in Regno Francię fuiſſe & eſſe, per ſuam ſententiam, de eorundē S.R.E. Cardinalium conſilio, pronunciauit & declarauit: prout in litteris eiuſdē Sixti prædeceſſoris, Anno Incarnationis Dominicę, M. D. LXXXV. quinto Idus Septembris, Pontificatus ſui Anno Primo deſuper editis, plenius continetur. Quamobrem cum his & alijs in dies contra fidem Catholicā ſupercreſcentibus eius culpis, idem Henricus ad ſucceſſionem dicti Regni Franciæ prorſus inhabilis, & incapax exiſtat, ac propterea nos & Catholica Eccleſia de eo confidere amplius nō poſſimus, nullam videmus cauſam, cur vos, & præſertim ij nobiles, qui fortè ſub falſa conuerſionis illius ſpe decepti, eum ſecuti ſunt; vllo modo ei poſthac confidere poſſitis, vel debeatis. Quis enim poteſt ei confidere, qui fidem, quam promiſerat, abnegauit? Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Nolite itaq; vnius hominis cauſa, à vera pietate & nobilitate tātopere degenerātis, vos, veſtraq. omnia in extremum diſcrimen adducere. Satis illi

ope-

operæ, & obſequij præſtitiſtis, ſatis ſuperq.
laborum & periculorum, vt ei morem ger-
reretis ſubijſtis. Nũc vos Sancta Mater Ec-
clesia fidesq́. Catholica , nunc patriæ cha-
ritas , nunc bonorũ omnium conſenſus vos
retrahit , & in ſummo periculo validũ pie-
tatis ac virtutis veſtræ auxilium expoſcit :
Et ſi qui, vt diximus, illum Ducem eo ani-
mo ſecuti ſunt , quòd ſperarint poſſe eum à
prauis opinionibus abduci , & ad Catholi-
cæ fidei veritatẽ redire , cum hæc ipſa ſpes
prorſus euanuerit,& huic excuſationi nul-
lus amplius relictus ſit locus ; tempus eſt,
mutato in melius conſilio , pernicioſas ſo-
cietates & coniunctiones dirimendi , ſibiq́;
& alijs in poſterum rectè conſulendi . Ete-
nim qui primo quoque tempore id non fe-
cerint , nec apud Deum,nec apud homines
excuſare ſe poterunt,& non parua honoris
& famæ iactura , nũc & in futurum per om-
ne æuum ſubeũda erit . Non latet vos,Fran
ciæ regnũ ſuperioribus ſeculis tamdiu flo-
ruiſſe,ac firma pace & quiete potitum eſſe,
quamdiu pijs Regibus paruit . Nunc,vt bo-
na hæc reparentur, bono & pio Rege opus
eſt ; quia vbi Deus rectè colitur, aduerſitas
non habebit effectum . Paternus erga vos
ani-

animus noſter, vel ex eo maximè patebit, quòd, cum in contumaces aliquid ſeuerius ſecundum ſacrarũ legum normam, ſtatuendum videretur, ſpiritu tamen lenitatis & manſuetudinis, ex quadam amoris & charitatis abundantia, vti maluimus, ſperantes vos viciſſim expectationi ac deſiderio noſtro cumulatè reſponſuros, ac re ipſa declaraturos, nõ minus pietate, ac Sedis Apoſtolicæ reuerentia, quàm generis charitate ſimiles vos eſſe velle maioribus veſtris, qui Chriſtianis quondam virtutibus conſpicui, ac verè Nobiles, hanc ſui nominis memoriam tãquam opulentam, præclaramq; hæreditatem vobis reliquerunt: & ſi nunc viuerent, id ipſum, quod à vobis petimus, ſummis precibus à vobis contenderent, & impetrare conarẽtur. Proinde, ſi hac in re ita vos geſſeritis, ſicut pios & obedientes Eccleſiæ filios decet: perſuaſum, ac certum vobis eſſe volumus, nos omni tempore, perſonæ, dignitatis, ſtatus, commodorumque, ac deſideriorum veſtrorum, quantum cum Domino licebit, eximiam eſſe rationem habituros; nullumque, vel amantiſſimi patris, vel vigilantis Paſtoris, erga vos, totumque Regnum, Inclytamque Nationem veſtram

offi-

5525

Officium prætermiſſuros. Verùm, ſi aliter,
ac cupimus & ſuademus, de vobis euenire
contingat, paternaque vox & hortatio hęc
noſtra prompto animo non admittatur, cõ
ſiderate quæſumus, nobis, etiam inuitis, ex
Officij & conſcientiæ noſtræ, debito, ne pa
tientia, & lenitas vertatur in culpam, extre
mam impoſitum iri neceſsitatem, ingraue-
ſcenti huic morbo acriora adhibendi reme
dia, & Loco paternæ benignitatis, qua ha-
ctenus Sedes Apoſtolica vſa eſt, ſeueri Iu-
dicis perſonam induendi. Sed abſit, vt hoc
de vobis ſuſpicemur, abhorret animus, &
præ dolore cõmouentur viſcera noſtra. Ex-
pectare igitur, & ſperare malumus, recti, ſa-
niq; conſilij effectum, optatum & ſalutarẽ:
Deum Omnipotentẽ orantes, vt ad id cor-
da veſtra Sãcti ſui Spiritus gratia illuminet,
& accendat. Cæterum, vt quantæ nobis cu-
ræ ſit Regni iſtius ſalus, & cõſeruatio modis
omnibus oſtẽdamus, mittere propediẽ iſtuc
decreuimus militares copias Helueticæ na
tionis, vnà cũ equitatu nõ modico, quibꝰ pfi
cere ĩ animo habemus vnũ ex cõſãguineis
noſtris intimis & charis, cui plenè cõfidere,
ac ſenſus veſtros ſine vlla dubitatione ape-
rire poſſitis; quique adiutor & protector
ſit

ſit omnibus, Dei & ſanctæ religionis cauſam defendentibus, & bonum publicum procurantibus. Nunc verò mittimus dilectum filium Magiſtrũ Marſilium Landrianum, vtriuſque Signaturæ Referẽdarium, virum claritate generis ac fide, induſtriaq; ſingulari præditum, vt iſtic noſtri & Apoſtolicæ Sedis Nuntij munere fungatur, vobiſq. conſilio & opera vbicũque oportuerit præſto ſit: cui mandata noſtra publicè vel priuatim referenti, fidem plenam habebitis. Quia verò difficile foret præſentes litteras ſingulis veſtrum præſentari, & ad ſingula loca deferri ad quæ oportet, volumus vt earum trãſumptis, etiam impreſſis, manu publici Notarij, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides, vbique gentium & locorum, in iudicio & extra illud adhibeatur, quæ eiſdem originalibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ vel oſtẽſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hãc paginam noſtræ hortationis, rogationis, obſecrationis, obteſtationis, monitionis, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum

torum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud Sãctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo nonageſimo, Kal. Martij, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

L. Dat.

M. Veſtrius Barbianus.

A. de Alexijs.

ROMAE,

Apud Paulum Bladum Impreſſorē Cameralem.


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm